FR. BONAVENTVRAE MORONI TARENTINI

ORDINIS MINORVM ARCTIORIS OBSERVANTIAE,

Theologi, Concionatoris, ac Pœnitentiarij Lateranensis

CATALDIADOS AD CIVES SVOS LIBRI SEX.

ACCESSIT D. CATALDI VITA

A BARTHOLOMÆO MORONO FRATRE Conscripta: Eiusdemq. in singulos CATALDIADOS Libros Argumenta.



ROMAE, Ex Typographia Iacobi Mascardi. MDCXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

***FR. PAVLVS** Sulmonensis Ord. Minorum Strictioris Obseruantiæ, In Cismontana Familia Commissarius Generalis, & Seruus, Dilecto nobis in Christo Reuerendo P. F. Bonauenturæ Tarentino nostri Ord. Theologo, & Prouinciæ S. Nicolai Reformato S.*

CVm Cataldiados libros sex, quibus Vita, & Miracula S. CATALDI, Tarentinæ Ciuitatis Patroni, latino carmine explicantur: nec non & Sermonem Italica lingua de laudibus eiusdem Sancti a te conscriptos Reuerendus admodum P. Fr. Dionysius de Turri Generalis nostri Ordinis Diffinitor, & Sanctissimi Domini Nostri PAVLI Papæ V. Confessarius nostro iussu recognouerit, & in lucem edi posse testatus sit: Nos tibi licentiam (quantum in nobis est) vt eos typis mandare possis harum serie impartimur, In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Datum Neapoli. Die 28. Nouembris Anno 1613.

Fr. Paulus Sulmonensis Commissarius Generalis.

Locus ✝ sigilli.

Imprimatur, Si videbitur Reuerendissimo P. M. Sac. Pal. Apost.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

LIbros sex CATALDIADOS R. Admodum P. F. Bonauenturæ Moroni, quibus Vita, ac Miracula S. CATALDI Tarentinæ Ciuitatis Patroni continentur, quos mihi Reuerendissimus P. Magister Sacri Palatij tradidit examinandos; tum quod Catholicæ Fidei, ac bonis moribus nihil habent contrarium, tum ob elegantiam versus pari cum pietate coniunctam, dignos censeo, qui in lucem, conspectumq. hominum dentur, ad laudem, & gloriam DEI Opt. Max. qui est mirabilis in Sanctis suis. Vita etiam eiusdem Sancti à Bartholomæo Morono latinè conscripta, & Sermo Italicus eiusdem Bonauenturæ nihil habent, quod fidei, aut bonis moribus aduersetur: Et hæc quoque typis mandari poterunt. Datum in Collegio Romano Societatis IESV. Die 22. Octobris 1613.

Ioannes Chamerota.

Imprimatur,

Fr. Thomas Pallauicinus Bonon. M. & Reuerendissimi P. Fr. Ludouici Ystella Sac. Pal. Apost. Mag. socius Ord. Prædic.



ME TVLIT HYBERNE: SOLYMÆ TRAXERE: TARENTVM
NVNC TENET. HVIC RITVS, DOGMATA, IVRA DEDI.

Romæ 1614 cum licentia Superiorum



TARENTINORVM STEMMA

Mœnia prima Taras posuit, construcٹa Phalantus
Auxit at auspicio seruat meliore Cataldus.






SOLI DEO
HONOR, ET
GLORIA.
DISPERSIT,
ET DEDIT
PAVPERIBVS.
ET TERRA CŒLOQVE POTENS
Me fouet vngue leo, mons vertice sidere coelũ Murice ALEXANDER, triplici diademate SIXTVS

ILL.^MO AC REV.^MO PRINCIPI ALEXANDRO PERETTO CARD. MONTALTO S. R. E. VICECANCELLARIO.

Fr. Bonauentura Moronus à Tarento Felicitatem.



ATALDIADEM Heroico à me carmine concinnatam, Princeps Illustrissime, vt cum ea, quam è tuis manibus accipiet luce, in lucem prodeat, tuo nomine illustratam edo. Neque alteri, quàm tibi, hoc quantulumcunque operis debebatur; ad quem nostri, hoc est Canonicorum, & Presbyterorum cœtus patrocinium beata temporum successione translatum est. Præfuit olim Tarentino animorum regno B. CATALDVS: quæ me impulit causa, quamobrem apud Ciues meos Sanctissimi Patroni laudationem aggrederer. Cur autem ego omnium postremus hanc tibi, Principum optime, dedicauerim, id scilicet causæ fuit; tum quia nostro Clericorum conuentui auctoritate maxima præfuit ille, quo Pontifice vniuersa gloriabatur Ecclesia, SIXTVS V. Optimus, idemq. Maximus Auunculus tuus; tum quia hæc eadem tibi hæreditaria planè cura, summa huiusce Ordinis iucunditate, & Religionis bono transmissa est: vt dum Auunculi nominis immortalitatem Nepos non degener æmularis, eidem nunquam non similis pietatem imiteris; supremæ dignitatis gloria futurus, vt speramus, non absimilis. Et quamuis indignus ego sim, qui te per librum adeam: tu tamen dignus humanissimis moribus tuis, Princeps excellentissime,

tissime, atque humanissime; cum sit nemo, qui non illud in te verum experiatur, quod olim Augusto dictum fuit: Vt, qui te adeat, fere maiestatem ignoret; qui non adeat, omnem omnino nesciat humanitatem. Nimirum maiestas illa est in viro Principe, quæ luce vehementiore splendescens, quàm vt in eam intendere aciem homines possint, facit, vt ad mitius, clementiusq. humanitatis lumen recurrant. Huc sese inopes conferunt, qui te commune egestatis effugium; huc sese Religiosorum familiæ, quæ te parentem optimum; huc sese amici, & familiares, qui te purpuratæ maiestatis gloriam consalutant. Vale; atque, vt soles, munusculum hoc leuidensę, iucundum tamen, &, vt spero, non ineptis, atque non inamœnis commentationibus locupletatum amplexus; per grauissimarum curarum interualla furatus ocium, animum ad rerum diuinarum lectionem accommoda: quæ cum pia sit, & in vnius Beati CATALDI laudibus immoretur, nulla præterea commendatione Scriptoris sui egere potest hoc tibi nomine commendatus liber. Vale iterum: & qui te nobis Patronum dedit DEVS, te nobis datum diutissime seruet incolumem.

BER-

BERNARDINI STEPHONII
è Societate IESV Oratoris, ac Poetæ præstantissimi,

AD BONAVENTVRAM MORONVM
Sancti EVSTACHII Bonauenturæ cognominem.



OC erat, Eustachi, quod auebam visere coram,
Quantus in Oebalio luserit orbe DEVS.
Quo laudum cumulo, quanto molimine rerum
Fama Phalantæi surgit ad astra soli.
Cui non dicta Taræ, Lacedæmonijq. TARENTI
Hospita Partheniæ rura beata fugæ?
Herculeumq. fretum quàm denso pisce natatur,
Blandaq. piscosi feruet vt Acta maris?
Quas & Hyperboreo Pater ex Aquilone CATALDVS
Addidit ad priscæ nomina gentis opes?
Illius vt donis opulentam, & numine sedem
Semper adit fœto Gratia laxa sinu?
Omnia, quæ præsens optassem cernere quondam,
Nunc relego in numeris, docte Poeta, tuis.
Spirat in ingenio, quantum blanditur in aruo
Aura, Tarentinis semper amica, DEI.
Indulget, te vate, sibi Natura; docetq.
Ingenium, Patriæ semina prima sequi.


CATALDI ANTONII MARGARITAE
Tarentini Art. ac Med. Doctoris celeberrimi, Ad
Diuum CATALDVM de Poemate Auctoris.



Ptaui, CATALDE, tibi præconia laudum
Texere, & æternum concelebrare decus.
Torpuit at manus: & mens consternata timore
Abstulit ingenio robora cuncta meo.
Voxq. audita mihi tenues demissa per auras:
Mæonio dignos carmine quære modos.
Hoc si tu nequeas, satis est tentasse laborem:
Venari laudes namque aliunde potes:
Et quòd bis Consul patriæ præsederis vrbi,
Et sedeas Coo proximus arte seni.
MORONO debetur opus; quem Musa Maronis
Instruit, & cuius splendor vbique micat.
Sic, CATALDE, vale; condat tibi carmina vates
Nomine Virgilio proximus, & numeris.


HENRICI

HENRICI CHIFELLII I. V. D. Antuerpiensis, Poetæ insignis, de Auctore Carmen.



Lma serenato ridens Victoria vultu
Adstitit, & niueas expandit lætior alas:
Adstitit, & patulas sese porrexit in auras
Nescia constantes frustrari Fama labores.
Ipse animi miratus opes, & nata Camœnis
Pectora, Castalio Phœbus præcordia succo
Imbuit;& casta doctum sudare palæstra
In Pindi sublime tulit: deuotaq. iunxit
Fœdera,& Aonias iussit parere sorores.
Viue, Phalantæis quà te pulcherrima muris
Ionij regina freti Spartana TARENTVS,
In pompam diffundis ouans; mirare decores,
Et titulos agnosce tuos: veterumq. per orbem
Supprime gesta virum, doctæq. encomia linguæ.
MORONVM genuisse sat est: stant proxima cœlo
Nomina,& antiquos egressa est fama triumphos.
Cessit; & Argiuum reticet fera funera Regum
Parthenope; Emathias oblita est Corduba pugnas;
Et facilis dominas proiecit Mantua lauros,
Applausere hilares redimitæ tempora Musæ,
Virgineusq. Helicon, celsiq. cacumina Pindi,
Parnasiq. iuga, & gaudens clangore Cithæron.
Exiluit, capitiq. diem formosus Apollo
Addidit, & puros circumtulit aureus ignes:
Tum duo Pierijs insculpsit carmina fastis.
Viuat inextincta MORONI gloria luce;
Duret in æternos inuicta CATALDIAS annos.

CATALDI ANTONII TEDESCHI TARENTINI Art. ac Med. Doctoris præstantissimi de Auctore Cataldiados.



ORONI generosa parens, dum pondera nati
Gestat, CATALDO pignora cara vouet.
Infanti genito nomen mox Præsulis indit,
Et Sancti obsequio tempus in omne dicat.
Vota puer firmat, seseq. ascribit in ædem
CATALDI, & sacris vestibus vsque micat.
FRANCISCI mox arcta sequi vestigia tentat,
Et BONAVENTVRAE nomina læta capit.
Num votum violat? voto meliore potitur:
CATALDO vt placeat hoc tamen edit opus.


IOSEPHI

IOSEPHI MELCHIORIS E SOCIETATE IESV Moralis Theologiæ Professoris, Poetæ, atque Oratoris eximij ad Auctorem.



Ella manu vati nunquam pugnata Maroni;
Abstinuit Graius prælia Mæonides.
Et tamen hic dignè certantem scripsit Achillem,
Et Teucrum nihilo secius ille virum.
Maiorem cantas Heroa, MORONE, CATALDVM;
Idem res animi, qui canis, ante geris.
O quanti fuit, inuisas triuisse phalanges!
Hoc decus, hæc belli pompa, CATALDE, tui est.
O quanti, laudata, prius gessisse, canentem!
Carminis hoc decus, hæc pompa, MORONE, tui.

FRANCISCI ANTONII ANDRADAE Sacerdotis Tarentini, & vtriusque Iuris studiosissimi ad Auctorem.




ATALDI vitam dudum, MORONE, sepulti
Dum tua Mæonia concinit arte chelys;
Splendidior Sole es, cunctis & clarior astris:
Quæ Sol non potuit pandere, aperta canis.

EIVSDEM ad Eundem.

CArmine dum celebras memorabile nomen Iberni,
MORONE, illustras & decus ipse tuum.
Atque renascentis Patriæ meditaris honores;
Viuat vt ingenio, vixit vt imperio.
Sic & Mæonides, peperit quod nomen Achilli
Carminibus, seruat tempus in omne sibi.
Hoc tamen Oebaliæ melius successit: Homeri
Patria nescitur: te parit ipse TARAS.

MARCI ANTONII DE CASTRO SACERDOTIS Tarentini Iuris vtriusque candidati ad Auctorem.



Vm legis exiguum modulatum diuite vena,
Lector, opus; magnas collige, lector, opes.
Hic cernis Latias Helicona aperire Camœnas,
Plenius atque suas fundere diuitias.
Tu BONAVENTVRAE cape signum à nomine: plus re,
Crede mihi, quàm fert voce, Poeta dabit.

Eiusdem

EIVSDEM ad Eundem.

PAruum opus, ingentem quid ni ſpatiare per orbem?
Non te opus, aut nomen terreat alterius.
Damnatum tenebris cecinit ſacra Muſa Maronis:
Exceptum cœlo Muſa MORONIS habet.
Quòd ſi Minciadæ cuperes tibi carmina vatis:
Materiam optaſſet forſitan ille tuam.

PROSPERI DE CHRISTANO TARENTINI
Ingenioſiſſimi Iuuenis de Auctore.



ECce opus aggreditur numeroſo carmine vates
Egregius, veteres quod timuere Patres.
Iam bene MORONVS CATALDVM pingit; Apellis
Vincat vt illuſtres pagina ſacra manus.
Magnus Alexander taceat; ſi carmine tanti
Vndique imago Patris clarior exprimitur.
O patrij decus ambo ſoli: miracula Iberni
MORONI, numeris ſplendidiora nitent.

EIVSDEM de Eodem.

CATALDI nomen dudum ſuper æthera notum
Lethæo obruerat gurgite longa dies.
Carmine MORONI nunc toti innotuit orbi:
Nunc volitat paſsim docta per ora virum.
Quæ merces operi? viuant ſua carmina vati:
CATALDO, vates viuat & ipſe ſuo.

IOANNIS CHRISTALDI MORONI TARENTINI
viri eruditiſſimi ad Auctorem.



VT Graios doceas Fidei ſacra dogmata, Graius
Crederis, & Græcè nobile cudis opus:
Vt profis Italis, patrio ſermone cothurnos
Indutus, CHRISTI Funera triſtè canis.
Et ſua ne deſit Latio pars, ore Latino
Decantas noſtri nunc pia geſta Patris.
Si fortaſſe hominem veteres odere bilinguem;
Candida MORONI Fama trilinguis erit.

EIVSDEM ad Eundem.

EDidit vt tibi me genitrix Natura propinquum,
Si faceret ſtudijs, ingenioq. parem:
Conſulerem ipſe mihi, fieret quò Fama perennis.

Atque

Atque meum legerent fecla futura decus.
Nunc, citò ne moriar, mea nomina proxima Lethæ
Insero carminibus, nominibusq. tuis.
Errantes hederas trunco fic fuftinet ilex:
Sic focias frondes arbor amica fouet.

FRANCISCI ANTONII MORONI SACERDOTIS Tarentini, Humanarum litterarum Profefforis egregij.



Vm, MORONE, canis laudes, ac gefta CATALDI,
Laudibus ipfius clarior ipfe micas.
Mæonius fic laude nitet pugnacis Achillei;
Dardanioq. viro fertur ad aftra Maro.
Tu tamen his melior, qui non mortalia pangis:
Et procul à numeris verba profana tuis.

EIVSDEM ad Eundem.

PRæfulis egregij miracula diuite vena;
Dum canis, & facro carmine gefta refers:
Mufæ indignantur vati, mendacia nufquam
Quod fingas; nufquam quod celebretur Amor.
Ergone Pierides lafciua per ocia ludent
Semper, & æterno carmine ficta canent?
Laurea ferta negant? tu dedignare vicifsim
Munera: maiori munere dignus eris.

IACOBI ANTONII TAVRISANI TARENTINI Studiofiſſimi iuuenis ad Auctorem.



Afoni ingenio fimilis, MORONE, videris,
Carmine Virgilio, Mæonidæq. feni.
Vtq. horum vatum diffufa eft Fama per orbem,
Nomen & egregium fidera ad vfque micat:
Sic tua per totas fundentur carmina terras;
Sic tibi par meritis vndique crefcet honos.
Atque inter reliquas vrbes dum Mantua, Sulmo,
Et Smyrna exurget, furget & ipfe TARAS.

CATALDI ANTONII RESTAE TARENTINI Philofophiæ Studiofi de D. CATALDO, & de Auctore ad Ibernos, ac Tarentinos.

Patria


Atria perdiderat ciuem, noua nupta maritum,
Pastorem pecudes, pignora mœsta patrem:
Dum Solymas CATALDVS adit, dum demptus IBERNÆ
Traditur Oebalio tempus in omne solo.
At modo MORONVS iacturæ incommoda sarcit:
Restituitq. suis quem gemuere diu.
Expressum numeris, spirantem & carmine sacro
Accipe nunc reducem, ciuis IBERNE, virum.
Tu tamen, & tumulum serua, cineresq. TARENTVM,
Præsidiumq. Patris, vatis & ingenium.


IOANNIS CHAMEROTAE E SOCIETATE IESV Diuinarum litterarum, ac sacræ Theologiæ Professoris Sapientissimi, In BONAVENTVRAE MORONI, sui in Philosophicis Auditoris, Cataldiada.


ATALDI dum gesta canis, dum dulce TARENTVM
Ornas, in Superos, in Patriamq. pius:
Barbariem culto pellis quòd carmine, & atri
Monstra Erebi Patrum relligione domas;
Debebunt geminum superato ex hoste triumphum
Et Superi, & Ciues, clare Poeta, tibi.
Ornabunt Ciues pro carmine tempora lauro:
A Superis Cœlum pro pietate feres.

EIVSDEM in MORONI Cognomen lusus.


ET μόρος, & μορία cognomina, magne MORONE,
Moribus, ingenio sunt satis apta tuo.
Te μόρος in Domini partem, sortemq; vocauit:
Pingue tibi est pectus Palladia μορίᾳ.
An MARE te dicam, fundis quòd diuite vena
Carmina, quot fluctus æquora vasta vomunt?
An MARO vis dici potius? cognomine Vati
Magno haud absimilis, versibus ve similis.
Μωρὸς es ἀντιφράσει. ingens sapientia nàm cor
Implet: & hinc nobis carmina docta fluunt.

AD LIBRVM.
AVCTORIS ELEGIA.


Arue liber, magnis mihi parte laboribus aui,
Nunc tandem impauidus tecta aliena subi.
Aspice nunc tandem peregrinæ compita gentis;
Et, quocunque libet, iam spatiare foro.
Sat tibi sit patrijs laribus latuisse tot annos,
Et Momi rigidas partimuisse minas.
Magnus ALEXANDER, quem purpura vestit, & ostrum,
Cuius in obsequium sidera cuncta micant;
Quemq. PERETTA domus genuit, quemq. orbis honorat,
En fouet auspicijs carmina nostra suis.
Hunc adeas primò, cui te Thymbræus Apollo,
Cui te Pieridum turba, chorusq. dicat.
Ne trepida, subiens ornata palatia gemmis,
Auratasq. trabes, purpureosq. toros.
Hæc habitat mitis clementia, prisca Quiritum
Maiestas, pietas, relligionis amor.
At si transgressum limen prædiuitis aulæ
Circumstet subitò te numerosa cohors;
Fare age, quid venias; & Principis ora require;
Nec patiare legi, ni prior ipse legat.
Admissus tandem vultus agnosce verendos,
Et procul inflexo ter venerare genu.
Huic palmas tetigisse nefas: tamen oscula fige,
Quà fluit in limbum murice tincta chlamys.
Exiguum hinc munus tanto non Principe dignum
Obsequijs orna, carminibusq. tuis.
Si te, quòd nullo poliantur pumice frontes,
Spernat; quòd nullo tegmine comptus eas:
Serica lora petat, fuluum si postulet aurum,
Conspersum minio, cæruleisve notis:
Internum tu pande decus: legat ipse PERETTI
Nomen ALEXANDRI, nec meliora petat.
Carmina si doleat, Musis, & Apolline nullo
Condita; CATALDI tu pia gesta refer.
Materia decoretur opus; Miracula carmen
Extollant, quoties debile serpit humi.

Cætera

Cætera si desint; mea pectora porrige, fibras
Largire, vt saltem pignus amoris amet.
Si te laudarit, verbo si dixerit vno
(Defendam *) vires indue, pelle metum:*
Tutus abi quocunque libet, per tela, per hostes;
Liuor Aristarchi nulla venena vomet.
Zoilus & vultu te complectetur amico;
Et, tua qui violet carmina, nullus erit.
Si tamen impatiens Momus clam pectore in imo
Mordeat; ipse sibi, non tibi Momus erit.
Mox, vbi iam varias Latij lustraueris vrbes,
Confice non modicum, quod tibi restat, iter.
Clara Phalantæa contende ad pergama gentis;
Et natale hilari fronte reuise solum.
Illic te peperit, nonumq. repressit in annum
Calliope, & lauit Bellerophontis aquis.
Præbuit & cunas, nec non alimenta Galesus,
Qui patrias nitido vellere vestit oues.
Vade salutatum proceres, notosq. recessus
Ingredere, vt ciues intueare tuos.
Ille ego sum (dicas) quem tot genuere labores,
C A T A L D I meeum qui monumenta fero:
Quem meliore nota nunc Dardana Roma remittit,
Qui patriæ seruo nobilitatis opes.
Audijt ecce preces magni regnator Olympi,
Ciuibus & reducem me sinit esse meis.
Nunc age, quisque manu mea carmina verset amica;
Præsulis & discat grandia gesta sui:
Nam, quæ longa dies, quæ tarda obliuia Lethes
Obruerant, forsan secla futura legent.
Fecit quod potuit magnis conatibus Auctor;
Nec sibi deposcit laurea serta dari.
Vobis ille diu quanquam sudauit, & alsit;
Vt sacrum hoc tandem perficeretur opus:
Præmia nulla petit; precio nec carmina vendit,
Qui sua deseruit, pauperiemq. fouet.
Merces illa satis, crescant si carmine laudes
C A T A L D I, & Patriæ fama perennis eat.



BARTHO-

BARTHOLOMAEI MORONI TARENTINI

In singulos Cataldiados libros Bonauenturæ Fratris ARGVMENTA.

IN LIBRVM PRIMVM.



Ascitur; & lapidem sacrato vertice signat:
Mox partu extinctam reuocat de funere matrem:
Sacra docet populos: condit pia templa: paternas
Exsiccat lacrymas, nato dans munera vitæ.
Attamen alterius funus dum prorogat, ardent
Tartarei inuidia proceres. miracula Princeps
Iuuernæ magicas stultè reflectit in artes,
Quòd Stygias biberat furiato pectore flammas;
Et iubet accitum Iuuenem sub vincula trudi.

IN LIBRVM SECVNDVM.

A *D superos monitus soluuntur vincula Iberni:*
Meltridis & Princeps inopina morte peremptus
Occubat. acciri Sanctum Rex imperat; illi
Sceptra Ducis tradit, successoremq. salutat.
Ille etiam, socijs diuiso pondere rerum,
Fit Præsul, populosq. suos deducit ad vndas
Lustrales. Sacri mox debita vota sepulcri
Persoluens, deserta petit; nanque ardet in antris
Degere; vt effugiat perituræ commoda vitæ.

IN LIBRVM TERTIVM.

C *ATALDVS præcepta DEI meliora secutus*
Tendit ad Oebalium littus: reprimitq. procellas
Ionio in medio, quas iam prædixerat: inde
Suscitat extinctum, qui tempestate furenti
Malo deciderat præceps: auditq. vicissim

Aerumnas

Aerumnas Stygiæ sortis: redditq. puellæ
Nauigio egressus, linguæ irreparabile munus:
Felliniq. lares, expulso Dæmone, purgat.
Atque Phalantæis sospes spatiatur in oris.

IN LIBRVM QVARTVM.

OEbaliam Præsul iam iam ingressurus in vrbem
Occurrit cæco, confert cui munera visus;
Discit & aduentum PETRI, qui primus in arces
Sacra Tarentinas inuexit dogmata CHRISTI.
At mox delicias vrbis, scelerumq. phalanges
Deplorat, ciuesq. docet; redditq. Tonanti,
Quos prius abstulerat labes recidiua parentum.
Delubra ingreditur tandem. quæ subdita monstris
Tartareis purgat, sacrat & melioribus aris.

IN LIBRVM QVINTVM.

IMmutat faciem templi sanctissimus Heros,
Aedituosq. legit; fidosq. ad sacra ministros:
Hinc abigit ciuile nefas, scelerumq. cohortes,
Oebaliamq. pijs fœcundat moribus vrbem.
Mox obscura canit; cæcisq. annalibus æui
Intrusus Vates venientia tempora pandit.
Tandem pertæsus vitæ fugientis, & orbis,
Cœlum inhiat, Dominumq. vocat, Dominoq. cohæret:
Nec moritur, felix qui sidera calcat Olympi.

IN LIBRVM SEXTVM.

CATALDI celebrant ciues venerabile funus,
Quod DEVS illustrat portentis millibus: haurit,
Qui surdus fuerat, voces: facundia linguæ
Est, vbi nulla prius concessa potentia fandi.
Qui modo claudus erat, celeri vestigia gressu
Signat; & arentes capiunt sua robora nerui;
Fluctibus & medijs tumidum prosternitur æquor.
Conditur & tandem Pario sub marmore corpus,
Vnde micant totum miracula crebra per æuum.

BONAVENTVRAE MORONI TARENTINI CATALDIADOS AD CIVES SVOS LIBER PRIMVS.


Ceani Diuum Hesperij, Phœbiq. cadẽtis
Immortale decus, nulli pietate secundũ,
Prisca Phalantæi celebrant quem iura Senatus,
Externisq. dolet mitti glacialis Iberne,
Musa refer: liceatq. mihi, si debita posco,
Florentem iuuenem patrijs educere tectis:
Vt Solymos fines, sacri & monumenta sepulcri
Cernat, & Oebalias tandem transmittat in arces;
Quò monitus, quò iussa Dei, populiq. ruentis
Cura trahit patrem, nullos moritura per annos.
Vos modo, quos spectat tantarum gloria rerum,
Quos cognata fides, eadem quos pergama cingunt,
Cives, dum nostri referuntur Præsulis acta,
Aspirate meis cœptis; sacrumq. laborem
Excipite, & reliquas animo depellite curas.
Tempus erit, patriæ quo, non ingratus, honores
Commemorem, proauumq. decus, veteresq. triumphos,
Nunc cœptum relegamus iter; cursuq. secundo
Ad sua sublimis ducatur templa Sacerdos.
Dum terras, tractusq. maris regnator Olympi,
Qua solet æterna Mundum bonitate tueri,

Cerneret, & primæ ſentiret germina culpæ
Infandis creuiſſe modis; totumq. per orbem
Sanguineas acies, Romano faſce ſuperbas,
A Parthis aquilas, & debita tela Gelonis
In noſtrum vertiſſe caput; vetitoq. cruore
Fœdatas, ſacros Latij maculaſſe receſſus;
Herculeis tandem laribus pia lumina fixit,
Quos Petrus è Stygij ſubduxerat ore Tyranni
Nequidquam, & fido dederat cuſtode tuendos:
Atque nefas ſceleri recidiua labe parentum
Succeſſiſſe videns, auido ſic pectore fatur.
Quando erit, vt noſtris mortalia corda trahantur
Vocibus, vt patrio poſſint conſidere cœlo,
Ac videant ſine nocte dies? ſatis ipſe, ſuperq.
Afflixi hanc animam; nec debita regna reſumpſi,
Donec Amor, celſo qui me demiſit Olympo,
Hos nece crudeli penitus contunderet artus.
Quid potui? mea regna patent: ſed triſtis Erinnys,
Impatiensq. ſui rabies, & neſcius error
In melius verti, partes bacchatur in omnes.
Cui parcet nouus ille furor, quo percita ſæuit
Roma, meis tantum naſcentibus inuida regnis?
Nullus abit ſine cæde dies; en ſanguine ſanguis
Obruitur; rurſusq. vigent tormenta Neronum;
Et geminant paſſim mugitus æra Perilli.
Sed mea me bonitas vincat; gentemq. togatam
Nunc patiar furere, & noſtris obſiſtere cæptis:
Tempus erit, quo colla mihi turgentia ſubdet,
Altior atque meis ſurget decorata triumphis.
Vrbs tamen hæc (digitoq. notat geniale Tarentum)
Nunc rea tot ſcelerum, noſtris obnoxia ſacris
Quondam, digna foret ſtabili quæ dogmate rurſus
Acciperet cultus, quos dedidicere parentes.
Crimine enim patrum pereunt ſine lege nepotes.
Sic amor eſt. Igitur naſcatur debitus infans
Huic populo, externis Rachau qui miſſus ab oris,

Hanc

Hanc mihi restituat mansuro fœdere gentem.
Sic ait; & nutu firmans pia dicta potenti,
Sidereum, duplici concusso cardine, cœlum
Exagitat: pondusq. suum vix sustinet orbis.
Omniparens natura subit, iussumq. capessit;
Disponitq. hilaris tantarum exordia rerum.
Concipit interea partus Achlena futuros;
Et plusquam mortale aliquid per viscera sentit
Formari, puerum tantos qui crescat in vsus.
Nec mora, bis quini postquam succedere menses
Incipiunt, paritura dolet: scelerumq. parentis
Primææ soluit cumulato fœnore pœnas.
Stare loco nescit; vacuas gemebunda per ædes
Aestuat: & tanti nulla est medicina doloris.
Constitit ecce autem sacri prope limina tecti
Dichus inops rerum, pietas quem fecerat vrbi,
Veraq. relligio celebrem: qui viderat igne
Accendi æthereo thalamos parientis Achlenæ.
Et verè fax illa DEI, flamma illa Tonantis;
Nam sensus aperit vati, tenebrasq. repellit;
Et tales format peregrino in gutture voces.
Fide, parens felix; tibi nec tua gaudia differ.
Torqueris nunc sola domi, mortisq. propinquæ
Iura subis: pignusq. tuum tibi posthuma proles
Iam pupillaris sentire incommoda sortis
Incipiet: sed ferre diu tua funera nolet:
Nam tantus CATALDVS erit (venerabile nomen
Hoc esto) tantum poterit cælestibus auris;
Vt reuocare animam matris modo possit ab vmbris,
Et mox ferre alios æternæ ad limina vitæ.
Quòd si cuncta licet nostro sermone recondi,
Præsul erit, patriæ lumen; votisq. vocari
Incipiet viuus: morienti immania condet
Templa Taras; vultusq. sacros argentea moles
Exprimet, amissi referens simulacra colossi,
Quam nec Praxiteles sculpsit, nec pinxit Apelles.

Audijt hæc genitrix, hilarisq. ad nuncia partus
Turgida vix sentit nascentis pondera nati,
Prodiga iam vitæ, & sortis studiosa futuræ.
Ac pariens, lacrymis puerum compellat obortis.
Nascere, Sancte puer, maternaq. gaudia comple:
Et patere hanc animam diris cruciatibus angi,
Ac nece crudeli patrio mea membra sepulcro
Condi, nec placidæ contingere vota senectæ.
Hac cupio mercede mori; si, nate, superstes
Sis matri; si, quam nunc desero, luce fruaris;
Succedasq. meis annis non inuidus hæres.
Hæc ait; & nato moriens dat munera vitæ.
Marmoreus lapis est, tectis seruatus Achlenæ,
Quò caput impingit tenerum venerabilis infans,
Dum prima decumbit humo; primosq. labores
Aggreditur vitæ, longiq. exordia luctus.
Debuit ille sequi matrem; sed damna ruinæ
Non sensit; quoniam naturæ inuertitur ordo:
Cessit durities capiti; saxumq. recepit
Effigiem, expressamq. semel seruauit in æuum.
Mox præfert maiora puer portenta; parentis
Nam lethum agnoscens, subitò, quasi creuerit annis,
Eius in amplexus currit; petit vbera; vagit;
Colla fouet, prensatq. genas; atque oscula figit
Optatas habitura vices; namque illa repente
Maiores reparat rediuiuo in corpore vires.
Et natum complexa suum, vix credula tantæ
Sortis, ait: Superum ò non exuperabile robur,
O nati immortale decus, felixq. parentum
Progenies, quasnam gemino pro munere grates
Persoluam? Superis debes tu tempora vitæ,
Ipsa tibi; matri nil tu, nisi matris honores.
Sic onus officij crescit; Superisq. tibiq.
Debeo; te Superis, tibi me: quis tanta rependat?
Matris nate parens, tibi iam distenta tuentur
Vbera lactis opes: vobis, sacra numina cæli,
Maiores

Maiores in luce moras pia femina seruat.
Si minus ex merito; at cælestia munera vires
Mortales superant. nequeo meliora: potestis
Vos meliora quidem; & dabitis, si tempora vitæ
Reddita præteritis degam vigilantius annis.
Talia fundebat lacrymans; atque oscula nato
Reddebat, spectante viro, qui venerat auspex,
Constitit & præsens tanta ad miracula testis.
Interea Eois rutilans Aurora quadrigis
Excierat mortale genus: subitoq. ruentes
Vndiq. conueniunt cognato sanguine ciues.
Ipse etiam pater Euchus adest; quem traxit ad vrbem
Fama loquax, tanti velox prænuncia partus,
Exercentem agros, & patria rura colentem.
Gesta rogant, pendentq. auidi narrantis ab ore
Achlænæ; matremq. vocant, puerumq. beatum.
Quid speres puer hic, validos si crescat in annos,
Efficiet? quid vir poterit, si tanta pusillus,
Nascitur vt subito, de se miracula præbet?
Interea pueri nomen crescebat, & ætas;
Nam nitor egregij vultus, & præuia virtus
Signa dabant tantæ ventura in tempora sortis.
Duplex cura fuit iuueni; præcepta Tonantis
Seruare, & studijs impendere tempus amicis.
Hinc crescit Domini cultus, reuerentia legum,
Relligionis honos: hinc vena diuite manant
Ingenij fructus, & veræ præmia laudis.
Sic vitæ pars nulla perit: sic conscia facti
Anceps turba diu fluitat, quæ maior in illo
Doctrina, an pietas: tamen hic crescebat vtraque;
Et pariter virtus virtutem agnata fouebat.
Spargitur occiduas sensim vaga fama per vrbes,
Huic iuueni primis tantum conatibus omnes
Concessisse viros, eadem quos edidit ætas,
Quantum ignes superat Phœbe iam plena minores.
Vndiq. conueniunt proceres; quos dulce trahebat

Diſcendi ſtudium, maior num cognita virtus,
An laudata foret. Celeres vaſtiſſima Rheni
Iam vada Teutonici, iam deſeruere Sicambri:
Mittit ab extremo gelidos Aquilone Boemos
Albis: & Aruerni coeunt, Batauiq. frequentes,
Et quicunque colunt alta ſub rupe Gebennas:
Non omnes proſpectat Arar, Rhodaniq. fluenta
Heluetios: multos deſiderat vltima Thule.
Certatim hi properant diuerſo tramite ad vrbem
Leſmoriam, iuuenis primos vbi tranſigit annos.
Mirantur tandem cuncti, quòd cognitus Heros
Spe maior, fama melior, præconia laudum
Exuperet, nullumq. parem ferat æmula virtus.
Sic fertur quondam regina Auſtralis ab oris
Niliacis veniſſe, ſuis comitata Sabæis,
Cerneret vt regem Solymis ſacra iura ferentem.
Dum tamen emeritas geminat gens aduena laudes,
Ille animo nihil extolli, nihil ille moueri
Ad faſtus hominum tumidi contemptor honoris.
A Superis agnoſcit opes, Superisq. refundit:
Vt præceps Anio cognati in Tybridis vndas
Spargit aquas, nomenq. ſuum non portat in æquor:
Vt patrius lambens creſcentia culta Galeſus
Vix tollit de fonte caput; vix margine ripæ
Cæptus agi; ac ſubitò per proxima littora fuſus
Miſcetur pelago, nomenq. amittit, & vndas.
At quoniam plures, deceptos fraudibus Orci,
Viderat infernis proponere vota tyrannis,
Mentitoſq. Deos venerari; vt deſinat error
Tam præceps, tam triſte nefas, in millibus ardens
Hæc ſacro ſermone tonat. Mea gaudia, fratres,
Quos vtinam poſſim ſuperis miſcere choreis;
Tollite nunc tandem veſtros ad ſidera vultus:
Surgat humo mens preſſa malis; nec pectora ſemper
Terrena ſub labe fluant. ſat luſimus: æui
Præteriti lugete nefas: nam deuius error
Panditur:

Panditur: & veræ promittitur arrha salutis.
Cui tua templa dicas; cui pinguia thura ministras
Galle? quibus subdi pateris Germania Diuis?
Quam mihi tu Venerem, cuius mihi Martis honores
Insinuas; cui Sacra Ioui proponis, & aras?
Quid, precor, infaustis subdis tua colla tyrannis,
Gens Domino detracta tuo? Citherea nefandis
Exagitata iocis, obscæna & mater Amorum
Inseritur coelo. foedatus sanguine Mauors,
Ne referam grauiora, nitentia templa meretur.
Relligio infelix, nimiumq. illusa vetustas.
Pellicibusne suis immistus Iupiter astra
Turpabit, scelerumq. auctor moderabitur orbem?
Fac tamen insontes, meliori & nomine dignos;
Quilibet ergo DEVS? quid tandem multa necesse est
Numina configi? si non est vnica virtus,
Quæ mare, quæ terras, superos quæ temperat orbes,
Sed poscit socias ad regni foedera vires,
Non ergo omnipotens. quòd si regit omnia solus,
Torpescunt reliqui. rursus, si cuncta creantur,
(Nam nil se genuit) rebusq. est omnibus vnum
Principium, DEVS ergo vnus, vis vna creatrix.
Vnus at ille DEVS princeps sic vnicus orbis,
Vt triplex etiam noscatur Hypostasis: vltra
Ingenij vires mysteria. credite Patrem
Non genitum: cuius foecundæ viscera mentis
Ante æuum genuere parem: processit, vtroque
Spirante alternos ignes, & flamen amoris,
Spiritus æthereus, mundi quoque maximus auctor.
Hic etenim, quò largè homini sua munera donet,
Ex nihilo educit cunctarum semina rerum:
Largiturq. vltro nobis quodcunque crearat.
Ast, vbi transgreditur sub prima exordia Mundi
Iussa Dei, geminatq. nefas vxorius Adam,
Mortis iura subit cœlestibus exul ab oris;
Et secum miseros geniali labe nepotes
 Inficit

Inficit, & tenebris damnat squalentis Auerni.
Sed Pater omnipotens natum demittit in orbem:
Vt fera primæuæ reparet dispendia culpæ.
Ah pietas, ah rarus amor! mortalia membra
Induitur Dominus: sed nil deformat honores
Diuinæ sortis. quis tanta arcana reuoluat,
Quæ nato sit digna parens? quæ membra Tonantis
Parturiat mulier? quæ denique viscera condant,
Quem mare, quem tellus, quem non complectitur orbis?
Vna Palestinæ legitur noua gloria gentis
Stirpis Iessææ Virgo: cui nulla vetustas,
Nullaq. posteritas genuit, nec proferet vnquam
Vlla parte parem: matris quæ gaudia sensit,
Virgoq. seruata est totum intemerata per æuum:
Tartara quam metuunt, cœlum stupet, orbis adorat.
Hæc, superos transuecta choros, iam proxima regnat
Nato, hominumq custos, mundi spes vna ruentis:
Cuius sacra suis fulcit vestigia Phœbe
Cornibus, & quam Sol vestit, stellæq. coronant.
Attamen vt peragat Dominus, genitore iubente,
Grande salutis opus, diris cruciatibus actus
Emoritur tandem: cuius miserabile lethum
Miris portentis cœlum defleuit, & orbis.
Nec Deus ipse mori potuit: sed vulnera sensit;
Tortorumq. manus quodcunque ex sanguine matris
Compactum est, quidquid mortali è stipite fluxit.
Sic faber ignitum mergit dum forcipe ferrum,
Nil chalybi leuis vnda nocet; sed fertur in ignem
Aduersum, flammasq. premit, prunasq. lacessit.
Hinc victor penetrans Erebum, Stygiasq. lacunas,
Primæuos patres latebroso carcere clausos
Soluit; & Eumenidas solido ex adamante catenis
Implicat æternum. nec condita membra sepulcri
Illuuiem sensere, indigna aut vincula mortis:
Nam breue post triduum superas reuocatur ad auras;
Et, nunquam moriturus, abit, quò culmen Olympus

Altius extollit, patrij ad consortia regni.
Cumq. dies aderit soli manifesta Tonanti
Orbis vastatrix, atque vltima linea rerum,
Siderei cœtus cineres excire sepultos
Vocibus horrisonis venient, & sistere cunctos
Ante DEVM: quis ferre queat, quis cernere vultum,
Quisue cicatricum vestigia, quisue furores
Iudicis offensi? felix, qui crimina lauit,
Præteritæ & vitæ sordes, quò numinis iras
Effugiat, Stygiæq. æterna incendia noctis.
Talia dum fatur lacrymans sanctissimus Heros;
Delusas animas, tetra caligine mersas,
Eruit è tenebris, callemq. ostendit Olympi;
Ingerit & cunctis vitæ melioris amorem.
Ceu limosa palus reuomat si nocte serena
Sub Lunam gelidis rorantia nubila guttis,
Moxq. oriens Phœbus radijs, æstuq. relaxet
Nocturno compacta gelu; nitet eminus orbis;
Alliciuntq. oculos gemmati Sole colores.
Quisq. fouet iuuenem cælestia verba tonantem,
Attonitus quo tanta fluat sapientia fonte.
Ille autem, dum tanta viget reuerentia legum,
Hos inter populos votiuas erigit aras;
Construit & titulis Galilææ Virginis aulam
Conspicuam; vt, quam voce prius celebrarat, & hymnis,
Aedibus exornet sacris, & thuris acerra.
Vixq. opus aggreditur, primæq. accingitur arti;
Pondere cum terræ obruitur spes vnica patris,
Spes puer haud incerta domus; nunc sæua doloris
Materies: sed dona pater, non funera quærit.
Namq. inter gemitus, nati dum lumina condit,
Exanimesq. pijs manibus complectitur artus,
Nescio quid sperat genitor, si, deside luctu
Suppresso, votis Dominum, precibusq. fatiget.
Talia magnanimo secum dum pectore voluit,
Prorogat ingratum funus, natiq. cadauer
Extrahit:

Extrahit; & mediam ducit lacrymosa per vrbem
Pondera, defuncti viuum, miserumq. feretrum.
Nec petitur Sanctus: temeraria vota videntur
Sollicitare hominem, dum præsto est altera virtus,
Quæ puero vitam reddat, puerumq. parenti.
Fertur Lesmoriæ seruatum nobile marmor,
Vertice quod dudum perfodit Ibernicus infans
Editus, & sacræ decorauit imagine frontis.
Hoc cœlo expositum Sancti prope limen aperto,
Imbribus effusis quoties, aut rore madebat,
Immedicabilibus præsentia pharmaca morbis
Præstabat, poteratq. necis differre ruinas.
Hinc febres fugere graues; hinc nigra venenis
Vlcera (quis credat?) roseum sumpsere colorem.
Iam sileat Iudæa suæ Bethsaidos vndas:
Non eget Angelico motu, nec proficit vni
Hoc marmor: sileat puteos, medicasq. lacunas
Vrbs Samia, & sudans quas possidet Aenara thermas,
Aut alias, quæcunque edunt portenta per orbem
Vortice gemmato quamuis Nabathæus Hydaspes,
Perpetuoq. fluat diues Pactolus in auro.
Huc igitur properans genitor, miserabile pondus
Deposuit; quò rore pio perfunderet artus
Pallentes nati, viuumq. exciret ab vmbris.
Sed frustra tentauit iter: nam præuia turba
Languentum lapidis totos exhauserat imbres.
Quid faciat? tumulumne paret, lacrymasq. resumat?
An maiora animo verset, constansq. procellis
Altius insurgat? languet spes credula patris,
Succeditq. iterum grauiori pondere luctus.
Aestuat infelix, tristiq. ita pectore fatur.
Non igitur sacro imbre tuum conspergere corpus,
Nate, licet? terrane licet? meliora parentis
Emeruit fortasse fides. ast arbiter orbis
Non patitur tantis mortalia pectora votis
Attolli; vt sperent etiam reparare ruinas
Mortis,

Mortis, & extremi leges confundere luctus.
Ergo tibi superest nil iam, nisi vile sepulcrum?
Nil patri, nisi vana fides, gemitusq. perennes?
Quot miseros hæc vnda fouet? quot commoda semper
Ciuibus accumulant diuina hæc balnea nostris?
Commune auxilium soli mihi denegat imber
Exhaustus: scatet vnda alijs: ego marmora solus
Arida conspicio, siccasq. in puluere guttas.
Cur mihi non liceat lacrymis labentibus vltro
Effusos sacri lapidis reuocare liquores?
Quid tamen hæc, si mœsta fugit vox irrita ventis,
Commemoras, pater infelix? quin protinus illum
Experiare virum, vires qui præbuit vndis;
Et sparsit rigidos vitali rore lapillos.
I pedibus faustis quò te tua, credule, ducit
Rara fides: i, mœste parens; votisq. repende
Præmia digna tuis, nullos abolenda per annos.
Hæc tandem meditans, Sancti vestigia quærit;
Solaq. CATALDI deposcit nomina: qualis
Cerua per Idæos saltus, Xanthiq. recessus,
Quam procul ærata præfixit arundine pastor,
Vt calamum hærentem lethali in vulnere sentit,
Dictamum vitale petit (sat cognita ceruis
Gramina) dictamum, Minoia culta peragrans,
Suspirat: tantas vires agnoscit in herbis.
Sic constans genitor medijs è millibus vnum
Hunc legit; huic lacrymans humili sua tristia vultu
Damna refert; precibusq. pijs pia pectora mollit.
O, cuius natale solum spectacula præbet
Tanta suis; cuius marmor veneratur Iberne,
Hæret vbi expressum sacro de vertice signum;
Redde diem nato; sua gaudia redde parenti.
Hic modo dum templi, quod, te Pater auspice, surgit,
Fundamenta fodit, pressus grauiore ruina
Impendentis humi, perijt: quin viua sepulcro
Supposuit membra infelix, tumuloq. reuulsus

Exanimis,

Exanimis, tandem tibi ſiſtitur. aſpice patrem;
Et nati miſerere: potes nam talia dona
Præſtare, & miſeris ſuccurrere: vota precantum
Ne ſpernas, gemitusq. pios. patiere ſacratæ
Fundamenta domus humano ſanguine tingi,
Sæuisq. auſpicijs attolli culmina templi
Diuiparæ matris? vel, ſi non tale meremur
Auxilium, adde patrem tumulo: mors vna duorum
Corpora condat humo: vel ſis mihi, nate, ſuperſtes,
Vt decet; aut ambos eadem fortuna ſequatur.
Hæc pater: ille inopis miſeratus damna ſenectæ,
Collacrymat; tacitusq. preces præmittit Olympo,
Mox ait. Indignum quidnam tot laudibus ornas,
Nominibusq. ſuis cæleſtia numina fraudas,
Mœſte parens? ſatis ipſe mihi ſum cognitus. iſthæc
Dirige vota DEO: cuius veneranda poteſtas
Ius vitæ, ius mortis habet: quo terra mouetur;
Sol ſtat, & in medijs Aquilonibus vnda recumbit:
Hinc nato quærenda ſalus; hinc pectore toto
Sperandum quodcunque nequit natura; parentis
Quod meruit conſtans animus, lacrymæq. fideles.
Reſtitit his dictis, cœlo pia lumina figens:
Mox, quaſi diuinæ mentis ſat conſcius, addit.
Viue puer, DEVS ipſe iubet. nec plura locutus,
Sentit adeſſe animam, notos quæ fuſa per artus,
Mœſta reluctantis delet veſtigia lethi.
Et puer exurgit properè, lacrymisq. profuſis,
Patris in amplexu pendens ſua gaudia præfert;
Ac tales fundit rediuiuo è pectore voces.
Hæccine, Sancte, potes? ſic ferrea vincula mortis
Abrumpis? tantis moliris commoda patrum
Portentis? ò ſacra Fides, ò rara poteſtas
A Domino tranſmiſſa ſuis. Miracula rerum
Tantarum interea diffundit fama per vrbes
Occiduas; alijsq. parem morientibus offert
Diuinæ virtutis opem; niſi dona ſepulcri

Depoſcant

Depoſcant potius, miſeræ quàm tædia vitæ.
Dum tamen exultat cœlum, lacrymabile regnum
Ditis, & implacidi terretur limen Auerni.
En properat miles, nuper cui pignus ademptum
Legarat lacrymas: ſed nec conſtantia mentis,
Nec bene ſuada fides animi prope funera nutat:
Nam ſperat quæcunque negat ſe poſſe Machaon;
Quæ nunquam potuit medicis Epidaurius herbis.
Non tumuli petit ille locum; feralia differt
Ornamenta rogi; tentatq. euadere mortem
Poſt mortem, & ſolum lacrymans ſuſpirat Ibernum:
Ille autem turbas hominum, faſtuſq. peroſus,
Extrahit abruptos lapides, & pondera glebæ;
Virginei vt citius templi ſacra culmina ſurgant:
Huc igitur miles, Domino præeunte, reflectit
Mœſtus iter, pondúſq. trahit miſerabile nati,
Atque hos orditur lacrymoſo carmine queſtus.
Aſpicis hæc, Heros; cui ferrea cedit Erinnys;
Cuius in obſequium, flumen remeantibus vmbris,
Ad ſuperas auras, Acheron ſua murmura ſedat;
Tænariæq. parent repetito limine fauces?
An fruſtra ſperamus opem? ſi munera vitæ
Sunt meritis indigna meis; da præmia factis
Digna tuis: nec culpa vetet ſcelerata parentis;
Quod virtus aliena iubet: nec humanda relinquas
Corpora natorum patribus nunc integer æui,
Qui poteras infans reuocare à funere matres.
Plura loquebatur: Sed tot præconia laudum
Deteſtans Heros, ſic obſtitit ore frementi.
Tanta igitur ſperas meritis te poſſe tueri
Signa meis? tantis audes inſurgere votis?
Num DEVS ipſe tibi videor, qui mortua poſſim
Membra animare iterum; maneſq. excire ſepulcris?
Da nato inferias; nec fœda cadauera viuis
Exponas: fac terra tegat, quod terra repoſcit.
Si maiora cupis; ſi vis obſiſtere cœlo;

Incute vim Superis; precibusq. æterna lacesse
Numina, quæ possunt cineres animare sepultos,
Atque Acherontæis indicere prælia monstris.
In me disce hominem moriturum; concipe vires
Mortales; nec plura petas. Sic fatus, amicum
Vrget opus, terramq. fodit, fossamq. ligone
Extrahit. O Domini virtus, ò mira potestas
Sanctorum, nec visa alibi spectacula rerum.
Pulueris effossi glebæ tetigere cadauer
Exanimum; subitoq. redit sub pectore motus,
Et viuum spargit per frigida membra calorem.
Non tulit hoc iterum furiato pectore tristis
Dux Erebi, fremuitq. Charon; subitisq. ruinis
Persephones confusa domus geminata reflexit
Lamenta, & triplicis resonarunt guttura monstri.
Extemplo innumeræ pestes ad limina Ditis
Conueniunt, iurata cohors maculare nefandis
Criminibus mortale genus, gentemq. malignis
Exagitare odijs, hominumq. eludere sortes.
Huc rabido squallore Fames, huc turpis Egestas,
Et Luxus populator opum contendit, & auro
Semper hians, auri semper ieiuna Cupido;
Et præceps ad tela Furor: venit ore cruento
Sæuities, Luctusq. nigro velatus amictu,
Impatiensq. sui Rabies, timidusq. repulsæ
Ambitus, atque Timor sub inania murmura pallens.
Hæc simul agglomerat furialis pronuba belli
Seditio, & sceleri solum Inconstantia constans.
Regia Ditis erat piceis suffulta columnis;
Cæca domus, quam flamma tegit, circumplicat ignis;
Septenoq. ambit Phlegeton fera mœnia gyro.
Præsidet ad postes Lethum; cui proxima luget
Desperata salus; hinc lata per atria cernas
Eumenidum thalamos, atque horrida monstra barathri,
Gorgonas, & Sphingas, Lernæi & sæua draconis
Guttura, ructantemq. incendia nigra Chimæram.

In-

In medio ſtructa eſt infamis curia; peſtes
Exceptura Erebi, Stygijq. immania regis
Membra: locum ſeruat vigili ſub milite tutum
Inuidia, aſſiduo quæ ruminat ore ceraſtas.
Huc igitur venere truces Acherontis alumni:
Altior ille ſedet, qui peior; & ordo Senatus
Ex vitijs pendet: ſceleri debentur honores.
Stat ferrugineo tectus velamine noctis
Arbiter æternæ; cæcaq. voragine mandens
Vipereum crinem, tumidas deſæuit in iras;
Cui deforme caput ſqualentia nubila cingunt;
Implicat & vultum facies diuerſa ferarum:
Gorgoneis infecta riget prolixa venenis
Barba: tument fauces, & non variabile pectus.
Duplex ala humeros onerat, motuq. perenni
Hinc Phlegetontæas exauget ſulfure flammas;
Inde premit Stygias glacie maiore lacunas.
Exterret, quodcunque videt; quod tangit, inurit;
Quod rapit, exanimat: tanta eſt ſcelerata poteſtas.
Hic, poſtquam Stygij tenuere ſilentia fratres,
Circumquaque oculos ſuffuſos ſanguine, & igni
Maieſtate rotat; verſet quaſi proxima regni
Damna ſui: inde ira minor, impatienſq. furoris,
Murmura ſæua tonat, rabidoſq. è pectore bombos
Exrrahit, & longis tandem hæc vlulatibus infert.
Eheu Tartarei ſæua infortunia regni:
Heu lethale malum, gemituſq. habitura perennes
Illuuies: Superi mortali robore certant:
Terrigenumq. cohors noſtra agmina ſæpe laceſſit
Sponte ſua, atque alacris tandem, victrixq. recedit.
Et patimur? grauiora manent. & deſide cura
Torpemus? nulliq. nocet furialis Enyo?
Noſtraq. nequidquam rabies præcingitur atris
Ignibus, & Stygiæ ſiluerunt murmura ripæ?
Nonne olim alterna iugulaſtis cæde nepotes
Cadmæos; veſtroq. furens patris vltor Oreſtes

Conſilio

Consilio lauit materno sanguine dextram?
Nonne ego sexcentos bellorum excire tumultus,
Et toties potui Latias confundere sortes
In ciuile nefas? armare & corda Neronum
Sæuitie, rueret quò gens illa inuida nostris
Cultibus, & premeret scelerato sanguine Tybrim?
Quò vires abiere meæ, quò robur Auerni?
Regnat vbique metus: cuncti languemus, & Orci
Optamus pauidi viles habitare latebras.
Esto; primæui patimur conuicia belli;
Dicimur & cessisse Deo: tantine pigebit
Vnquam conatus, tantosq; adamasse triumphos?
Et volui, & voluisse placet: generosa voluntas
Hæc satis est victis: faueat fortuna Tonanti.
Vna ergo poterit clades æterna mereri
Excidia? atque semel cedentibus altera merces
Nulla est? vna nocet reliquis victoria bellis?
Prætereo veteres, quas agmina nostra ruinas
Edidicere pati: solum præsentia tangam
Imperij fera damna mei: superamur ab vno:
Vnus bella mouet (nomen quis nesciat hostis?)
Atque reluctanti, nutu dominatur Auerno.
Nec moueor, quod nostra euertat templa, domosq.
Victor; quodq; mihi vix cæca hæc antra relinquat;
Occiduos adimat populos; sacretq. vicissim
Nescio cui domino, quas nos amisimus aras.
Huic tamen ex Erebi latebris (proh dedecus ingens!)
Huic liceat Stygias impune auertere prædas,
Et reuocare animas prisca ad consortia vitæ?
Non patiar: dat tela furor, rabiemq. ministrat
Læsus honor: pendat meritas audacia pœnas.
Pro se quisq. suos nociturus excitet ignes;
Arma paret; dentes acuat; sua robora monstret;
Nullaq. Tartareos reprimat patientia manes.
Hæc dum multiplici conclamat gutture Pluton;
Conspirata acies rapido feruere tumultu
Incipit

Incipit; & pleno gelidum bibit ore venenum.
Infremuere animi; penitusq. Acheronte recluso
Turpassent cæleste iubar; subitoq. ruentes
Impia Tartarei firmassent vota tyranni.
Sed stetit in medio miserarum prima sororum
Alecto, toruumq. tuens cohibere furores
Conatur procerum: mox incipit ore trisulco.
Quò frustra; socij, ferimur? quò audacia præceps,
Consilijs inimica, ruit? sat nouimus hostem,
In quem nostra fremit rabies; cui cessimus vni
Victrices aquilas Erebi, Plutonis honores;
Eumenidum vires, & guttura sæua triformis.
Bella iterum struimus, nullos habitura triumphos?
Fraudis opus: satis est certatum robore, & armis
Nec turpe est vicisse dolo: monumenta trophæi
Semper habent laudem: decus est fallacia victrix.
Tartarei manes igitur longa ocia carpant
Has inter latebras: vni hæc prouincia detur.
Si cuncti irruimus, cunctos mox conteret hostis,
Robore munitus Superum, clypeoq. Tonantis:
Vnus si pugnet, victor vix arma capesset;
Vnius & vires audaci pectore temnet.
Parcite iam furijs; blanda nil sæuius ira.
Quis tamen hoc præstet? quis turpia damna suorum
Fraude pia redimat? me, me decernite; cordi
Cui fraudes, cui notæ artes, ratioq. nocendi.
At quid bacchantum procerum suffragia venor?
Me manet iste labor; nostriq. iniuria Regis
Me petit vltricem. Nec plura effata, tenebris
Circundat funebre caput, Stygiamq. paludem
Præterit, & superas cursum detorquet in auras.
Quò ruis Alecto? scelerati incommoda belli
Sola subis? conferre manus meditaris inermes,
Quæ toties armata cadis? iam sola lacessis
Hostem, qui potuit totas agitare phalangas
Tænarias? iam sola potes, quod Tartara tecum

Conantur frustra? fac tu tamen omnia possis;
Seu frænare hominem vinclis, & carcere tetro;
Seu patrio exturbare solo; seu carpere famam;
Siue ærumnosæ stamen præscindere vitæ:
Fluctibus in medijs virtus animosa ruentis
Altior exurget, maioribus aucta triumphis.
Parce igitur scelerata dolis; nec sidera visas
Turbatrix hominum; nec vana incendia iactes.
Nox erat; & Phœbe, venturæ præscia sortis,
Circumquaque rubens, & iam casurus Orion,
Nube procellosa totum contexerat orbem:
Ni facerent, nutasse polos; Helicenq. madentes
Nunc primum tentasse vias; plaustroq. relicto;
Tethyos in thalamis admirarere Booten:
Eumenidum vultus adeo est inuisus Olympo.
Illa per Aetnæos graditur furiata recessus;
Concutit & Siculas crebris vlulatibs vrbes:
Inficit æthereas auras, Lilybæaq. siccat
Gramina, & Ausonij fœdat vineta Pelori:
Obuia quæque premit violenti turbinis instar,
Intortus quem nimbus agit; quem Iupiter armat
Oppositis Euris, spirantibus ore procellas.
Sentit Tartareum glacialis Ibernia murmur,
Quò rapidè deflectit iter furialis Erinnys,
Vt Regem inuadat, curis, somnoq. grauatum,
Et Stygias toto diffundat pectore flammas.
Illa igitur faciem, quò promptius omnia turbet,
Ementita Ducis, præerat qui Melitidos oris,
Proximus & Regi, capitali accenderat ira.
Sæpius in sacrum iuuenem fera corda tyranni;
Languentem hunc simulatq; fœdatum puluere crines;
Vestibus indutum laceris; cur pallida turbet
Ora dolor, fletusq. lauet, deformet & ira.
Rex stupet, & vultus vix tandem agnoscit amicos:
Multa animo versat; vanaq. ab imagine rerum
Terretur; sceptrumq. gemit, trabeamq; cadentem:

Et prior, illacrymans tali sermone videtur
Compellare virum, moestasq. has promere voces.
  Quo res summa loco, Dux Meltridis? vnde ruinas
Tam subitas Fortuna parat? miscemur vterque
Insidijs: agnosco dolos: sed cæca futuri
Mens nescit, quo fonte lues hæc vltima surgat.
Tu referas, quæ caussa mali; tu incendia volue;
Tu commune caput dubijs defende periclis.
  Hæc ille. Alecto contra, mentita figuram
Principis, orsa loqui. Fuimus: Fortuna secundos
Auertit vultus: & quod collegerat æuum,
Abstulit vna dies. victor sine vindice nostros
Dementat populos, & Meltridis occupat arces.
Augetur manifesta lues; acquirit eundo
Robora lethalis turbo; iamq. obtinet vrbes
Deditione tuas. hunc plebs veneratur Ibernes,
Mirantur proceres, complectitur ordo Senatus.
Tu mecum Dominus posthac desuesce vocari;
Atque ambo, quò fata vocant, retrahuntq. sequamur.
Vel, si damna horres, si vis arcere ruinas,
Et caussa meliore frui, cur occupat artus
Importuna quies? ferrum cape, vincula, flammas.
Tota nocte ducem pigro languescere somno
Non decet, imperij cui credita summa tuenda est.
  Hæc ait; & cæcis visa est absorpta tenebris:
Non tamen illa fugit; sed corda tenacius ambit
Inuisamq. animam diris cruciatibus angit.
Desilit ille toro præceps: nam pectore toto
Hauserat horrores Erebi, Stygiasq. fauillas,
Et trepida famulos deturbat voce iacentes.
Opprimor ipse malis: miseræ vos noctis iniquam
Carpetis requiem? vos ocia longa iuuabunt?
Heu quis bella parat nostris immania regnis?
Quis mea corda quatit terror? quæ viscera mandit
Sæua lues, quæ flamma vorat, quis verberat ensis?
Sponte igitur mea damna sequar? moriemur inulti?

Tu moriere simul. Sic fatus, lumina figit
Mœstus humi, secumq. immurmurat; inde querelas
Ingeminat; varioq. irarum fluctuat æstu.
Sic forsan vidit coniux Athamanta, Learchum
Cum raperet: talem Pylades spectauit Orestem,
Post cædem infandam Diris vltricibus actum.
Consternata cohors thalamos circundat heriles;
Atque ignara mali tentat depellere curas
Regis, & accensas intus restinguere tædas.
Hæ tamen excrescunt: maiora vt robora flammæ
Concipiunt Euris spirantibus: asperat vlcus
Vt male decoctum importuna licentia dextræ.
Nox inuisa ruit tandem, tremulumq; per æquor
Lux dubios spargit Nabathęo ex orbe colores.
Nec minuit tormenta dies: nam tempore crescit
Et furor impatiens, & sęua potentia morbi.
Ecce autem, Stygio dum Rex male percitus œstro
Effera pręcipiti quatiebat pectora motu,
Miles adest; nuper rediens cui pignus ad auras
In Sancti exitium commouerat agmen Auerni:
Hic, quòd ferre nequit tacitus sua gaudia, vultu,
Et verbis rerum miracula pandit vbique,
CATALDI passim celebrans venerabile nomen:
Et tandem (mens cęca hominum) vehementius ardet
Successus aperire suos; quò corda Tyranni
Mulceat, & curas festiua ad gaudia tollat:
Atque ait: O felix aulę regnator Ibernę,
Quid te vltro excrucias, passim si munera cœlum
Accumulat maiora tibi? mea gaudia tecum
Diuide, quo fas est animo: tibi nuncius asto
Lętitię ingentis. tristes tamen exue vultus
Interea, & rerum miracula percipe lętus.
Aspicis hunc? (monstrat puerum, quem duxerat vnà)
Hic modo Tartareis remeauit sospes ab vmbris:
Hic modò nullus erat, gelidę nisi mortis imago:
Nunc est, quem cernis: supera nunc vescitur aura,

Legibus abruptis naturæ. talia præstat
CATALDVS, plebi iuuenis sat notus Ibernæ.
Quis referat, quanta hic edat miracula; quales
Hinc abigat pestes; quantorum corda virorum
Instruat exemplo; quot mulceat ore diserto?
Iam videas populos, quos abluit aduena Rhenus,
Quosque sub occiduo collustrat cardine Mundi
Phœbus, Lesmoriam venisse; vt iura docentis
Ediscant, titulisq. sacrent melioribus aras.
Vix ea fatus erat: cum Rex vehementius instat,
Ingeminans: O vera mei præsagia somni;
Scilicet istud erat, quod, dum diffusa per artus
Me tenet alta quies, varia sub imagine rerum
Edidici. nec vana timet, nec falsa minatur
Meltridis egregius Princeps. superamur ab hoste
Non ficto. cui tanta tamen præconia laudum
Agglomerat vulgus? magicis conatibus actum est,
Quod fieri virtute putas. hoc pocula Circes
Aeææ poterant; medicis hoc Phasias herbis
Ausa nefas. hac fraude igitur magus ille triumphat?
Non equidem patiar tantæ contagia pestis.
Ferte igitur iuuenem, famuli, commune beatis
Dijs odium: vincite manus: date colla catenis:
Atque adamantæo frænetur vecte rebellis.
Ite meæ vires: blandis nec credite verbis.
Fallimur: & ficto nihil est crudelius hoste.
Talia præcipiti loquitur dum mente Tyrannus,
Attonitus miles, tantisq. furoribus impar,
Hæret in obtutu tacitus. Stetit aduena miles
Sic Amalecites, retulit cum funus acerbum
Saulis Iessæo iuueni, cladémq. nefandam:
Nam, dum læta putat sua nuncia, fertq. coronam,
Armillasq. Duci, successoremq. salutat;
Præmia dumq. amens sperat sermone mereri,
Vltima damna tulit lethali cuspide fixus.
Et fortasse eadem repetisset funera miles

Lesmorius: sed sæua timens decreta Tyranni,
Egreditur tacito funesta palatia gressu;
Quem pauidè sequitur natus non passibus æquis.
Interea celeres peragunt fera iussa ministri;
Atque legunt binas socia de classe triremes;
Remigioq. aptant; portusq. Aquilone secundo
Lesmoriæ ingressi, medijs in millibus vnum
Inuadunt Heroa sacrum, vectesq. tenaces
Expediunt. proh turpe nefas: proh barbara regis
Imperia. hunc hominem nectis, qui vincla reorum
Conterit? huic inferre necem meditaris acerbam,
Qui cineres animat? qui pallida membra feretris
Extrahit? hunc reris sceptrum, gazasq. tuorum
Quærere, cui sordent mortalia? vince furores,
Vince animos, Rex dire, tuos; ne te premat vltrix
Ira Dei, damnetq. Erebo. quid somnia curas,
Quæ falsa ad cœlum porta transmittit eburna
Tartarus, vt curis homines fallacibus angat?
Illi dum Sanctum scelerata in vincula trudunt,
Conueniunt proceres, patrij pars magna senatus:
Et furor hinc suadet, vetat hinc reuerentia Regis
Præcipites conferre manus; populiq. volentis
Exagitare animos, hominemq. abducere morti.
Tandem victa metu pubes alimenta ministrat
Fletibus, & segni circundat mœnia luctu.
Inter tot lacrymas gaudens sua vincla tuetur
CATALDVS, mulcetq. suos, ac talia fatur.
Quò vestri tendunt gemitus? ac fletus amantis
Quid sibi vult populi? mœstis quę digna querelis
Materies? quę caussa mali? me cernite, ciues,
Eque meis oculis agnoscite gaudia mentis.
Iam teneo, cupij quod dudum: vota precantis
Implet iam Dominus. ducar per tela, per ignes;
Aeternæ vt possim pertingere limina vitæ.
Nostrarum tolerate igitur discrimina rerum.
Quos amat Omnipotens, hos corripit: imbribus aer
Horridus

Horridus optato fœcundat fœnore glebas,
Quæ cœlo reddunt vix ſemina prima ſereno.
Cui ſemper curſu arridet Fortuna ſecundo,
Is miſer eſt: maiora etenim poſt longa quietis
Tempora ſuccedunt incommoda: tuta ruina eſt,
Quæ poſt damna iuuat, quæ dat poſt prælia pacem.
Stat via virtutis ſylueſtribus ardua dumis:
Aſt iter illecebræ fecere ad Tartara callem
Hunc tenuit Dominus, patrij quò culmen Olympi
Scanderet: hunc homines etiam tenuere beati.
Ignis, tela, furor, tenebroſi carceris horror,
Tortorumq. manus, & guttura ſæua leonum
Cœleſtes potuere fores apèrire volenti.
Duc me igitur quocunque cupis, ſtudioſe ſatelles:
Nam, licet egrediar manibus poſt terga reuinctus,
Non ſequor inuitus. ſtat morte potentior ardor
Aethereus; nectitq. magis, quàm vincla, voluntas.
Sic dirum properabat opus, ſic pectora plebis
Mulcebat: donec triſti digreſſus ab vrbe
Ad mare deuenit. hic, conſcenſurus in alnum,
Oſcula partitur populo: lacrymasq. ſuorum
Ore legit, Dominoq. vrbem commendat: & addit:
Hucusque accepi comites: certamina ſolus
Iam ſubeo; lacrymis vos parcite: iunget Olympus
Quos mare, quos tellus nunc diuidit. Ite fideles
Aeterni paſtoris oues: memoresq. laborum,
Quos ego mille tuli, concordi pace per æuum
Viuite ſubiecti Domino. Nec plura locutus
Auertit molles oculos, vultumq. retorſit:
Namque viri ſenſim turbabat viſcera fletus,
Et patriæ ſocialis amor. Vocat Auſter in altum
Interea puppes: deſerto in littore ciues
Languent; & madidis oculis comitantur euntem.
Poſtera fulgebat roſeis Aurora quadrigis,
Cum videt Oltonios conſurgere nauita portus
Fluctibus è medijs; vnde improbus ante Tyrannus,

Illusus Furijs, geminas emiserat alnos.
Has vbi conspexit, rabidas efferuet in iras;
Impatiensq. sui Stygium vomit ore venenum.
Nec minus ille furit, quàm quondam barbara mater
Colchis, transadigit natis cum viscera ferro.
Vt tamen egregium Iuuenem videt, altaq. mentis
Signa notat, sacræ meditatus frontis honores
Obstupuit primo aspectu; voluitq. tueri
Comminus, atque hominem vario sermone morari.
Sed metuens flecti vultus grauitate verendi,
Imperat auersus latebrosa in vincula trudi;
Insequiturq, minis: Iam iam dabis, improbe, poenas,
Quas meruit crudele nefas: iam, sanguine fuso,
Placabis Superos, quorum sacraria turpas.
Finge pium, populiq. mei venare fauores
Eloquio; & magicis auge tua crimina rhombis.
Qui rapis ex Erebo manes, age, funera differ
Corporis ipse tui: qui aliena pericula tollis,
Auxiliare tibi. frustra iam numina Ditis
Sollicitas; etenim scelus hoc non perferet vltra
Intemerata Themis. Iuuenem sic ille lacessit.
Excipit at placido vultu fera murmura Regis
CATALDVS; sequiturq. hilaris feralia signa
Lictorum; vt Domini quærat per tela, per hostes;
Per medios ignes cupido vestigia gressu.
Ventum erat ad postes, vbi regia culmina surgunt;
Haud procul hinc defossa latet sub limine paruo
Cæca, profunda domus camerato fornice, nullas
Admissura dies; seu Sol oriturq. caditq.
Seu medias cæli candentior occupat arces.
Hic longo squallore riget miserabile tectum:
Atque sepulta situ, gelidoq. obducta veterno
Saxa, grauem redolent æterna in nocte mephitim:
Solaq. per vacuas ædes spatiatur Arachne.
Hic scelerata cohors indigna compede nectit
CATALDVM; & cingit crudeli milite muros.

BONAVENTVRAE MORONI CATALDIADOS LIBER SECVNDVS.



Nterea Phœbus placida ſtatione receptos
Soluerat, & rabidos æſtu ſub Tethyos vndis
Irrorabat equos: tacitisq. accita tenebris
Littore ab Eoo, cœlum nox pinxerat aſtris.
Cum Pater omnipotens obtutu fixus in vno,
Quæ mare, quæ tellus, quæ continet ambitus orbis
Inſpiciens, tenuit tandem pia lumina regnis
Occiduis: hominemq. videns in vincula truſum,
Imperat educi; quò præmia digna ſequantur,
Emeritasq. ferant diuina exordia ſortes.
Extemplo varijs curarum fluctibus actum,
Et longa vix dum ſopitum nocte Tyrannum
Conueniunt gemini fratres; quos candida circum
Veſtimenta tegunt; oculos quibus ignea lampas
Accendit; diadema caput, variata colorat
Penna humeros; flauiq. madent ſub nectare crines.
Hi, ſeu membra notes, pluſquam mortale videntur
Præ ſe ferre decus; ſeu verba tonantia ſignes,
Diuino ſermone loqui. demittit vtrumq.
Arbiter Empyrei; quò rex addiſcat Ibernus,
Praua reluctari nequidquam Tartara cœlo.
Alter in arma ruens rotat implacabilis enſem:
Alter inermis adeſt, ſacra tempora cinctus oliua

Imbellj:

Imbelli: varioq. mouent ſermone Tyrannum.
Ingerit ille minas; hic obſecrat: ille ruinas
Intentat; veniam hic offert: inſignia primus
Iuſtitiæ retinet; rutilantia ſigna ſecundus
Diuinæ bonitatis habet. ſic ore ſeuero
Incipit ergo prior. Stygijs ô debite flammis,
Ecquis erit finis ſcelerum, quæ meta furoris?
Euome qued ſæua nuper de Gorgone virus
Hauſiſti; verosq. metus ediſce; nec addas
Crimina criminibus. me vindice, Tartara vexant
Fraternas acies, debellatamq. Tonanti
Progeniem, Satanæ illuſam furialibus auſis.
Ipſe homines cœlo genitos (ea prima parentum
Ingluuies tormenta meret) felicibus aruis
Exturbo; cuſtosq. loci ſacra limina ferro
Fulmineo tueor. diſce ex annalibus orbis
Exhauſtas Babylonis opes, flammasq. rogales
Pentapolis, quæq. Ægyptus mox pertulit, ipſis
Obdurata malis: & ne tibi ſingula promam,
Immani mortale genus ſub gurgite merſum
Hæ tenuere manus: quanquam voluere Gigantum
Corpora nequidquam tumidas enare per vndas.
Ex me monſtra Erebi, nec non armata chelydris
Eumenidum ceruix manat. mea brachia tandem
Tartareas fecere domos, Stygiosq. receſſus.
Cui parco? Deus ipſe ſuos (quis crederet?) arcus
In nati mortale caput, corpusq. tetendit,
Sumeret vt meritas alieno è crimine pœnas:
Ignoſcatne tibi? niſi iam pia numina places;
Ni iam deplores commiſſa piacula vitæ
Præteritæ, noſtro quis te modo ſubtrahat enſi?
Debita quò fugias iratæ fulmina dextræ?
Vincula ſolue hominis, quem nunc, deluſus ab vmbris
Tartareis, magico foedatum carmine reris.
Ni facias, iam diſce mori: iam redde baratro
Hanc animam; patriumq. nefas prudentior hæres
Emendet;

Emendet, ſurgatq. tuo de funere maior
CATALDVS. Sic ille minas intentat, & enſem
Opponit iugulo. Prohibet ſed vulnera frater
Mitior, & placido alloquitur ſermone Tyrannum.
Si metuis iuſtas offenſi numinis iras;
Si ſcelus immani lacerat tua viſcera morſu;
In me oculos, Rex, verte tuos; frontisq. ſerenæ
Blandimenta notans, animos agnoſce paternos.
Ipſe humiles defendo reos, gemitusq. precantum
Ante Deum ſiſto; tantoq. in munere conſtans,
Iudice ab æterno vitæ ſuffragia venor.
Ereptusq. Erebo, mea per veſtigia, cœlo
Primæuus ſucceſſit Adam, ſeriesq. nepotum.
Iratusq. Pater quoties ſua fulmina flammis
Armat, vt humanæ reprimat conuicia culpæ,
Obſiſto medius; natiq. & vulnera, & artus,
Matre Dea monſtrante vias, ante ora parentis
Exhibeo: tunc ira cadit, tunc fulgura languent;
Succeditq. fauor, quà ſe vindicta retorſit.
Ergo tuum cognoſce nefas; hominemq. vereri
Ne pigeat, quem nunc indigna compede nectis.
Et noſſes vtinam quantos hunc ſeruet in vſus
Omnipotens, quæ dona paret, quæ gaudia monſtret:
Nam, quem nunc odijs, quem nunc furialibus auſis
Inſequeris; cuius lethum meditaris acerbum;
Forſitan huic cedens aſſumpti pondera regni,
Ornares ſacram patrio diademate frontem.
Aſt age, regna tene Tyrio conſpectus in oſtro;
Sed, quia Lethæis Dux Meltridis incubat vmbris,
Hunc Superi fecere Ducem: moderabitur vrbes
Ipſe datas, licet inuitus; Dominoq. ſacrabit
Imperium, ſociosq. leget; ſuffragia cœli
Tu ſequere; atque viri faciles ne deſpice motus;
Nam nil tentabit, quod non decrerit Olympus.
Hæc ait, & iunctus ſocio, petit æthera pennis
Auratis; Dominoq. ſuo famulatur, & aſtat.

Sidereum fulſere comæ; primoq. receſſu
Spirauere pedes diuini nectaris imbres.
Iamq. rubeſcebat pulſis Thaumantias aſtris;
Proximus & Phœbus radianti lumine littus
Sparſerat Eoum: cum Rex attollit eburno
Membra toro, pendens animi, dubiusq. futuri.
Qualis, dum rapidi flatus Aquilonis, & Auſtri
Contendunt, ancepsq. fouet victoria partes,
Concita diuerſo motu fluuialis arundo,
Nunc Boreæ cedit, nunc inclinatur ad Arcton
Pulſa Noto, & dubio fluitat ſub margine ripæ.
Sic trahitur Rex ipſe ſuis contraria curis
In ſtudia; & pauido ſecum ſic pectore fatur.
Ancipiti quò mente feror? quos feruor in vſus?
Credere ſi dignum eſt geminæ diſcrimina noctis,
Quid potius credam? quis ſomnia vera miniſtrat,
Quis falſa? ille iubet miſero tormenta parari
Vltima: largitur cinctas hic moenibus vrbes.
Ni vinctum ſoluam ſubito, fera damna minatur
Armiger ille Deus: ni plectam, incendia regni
Oppoſitum luget numen. quæ vota ſequemur?
Tantane cœleſtes agitant certamina ciues,
Vnius ob vitam? tanta eſt diſcordia Diuum
Pro vice mortali? quid ſi dominatur in orbe
Caſus, & humanas ludunt inſomnia mentes?
Talia Rex dubio ſecum dum pectore voluit;
Improuiſus adeſt, nigro velatus amictu,
Egregius iuuenis: flexo qui poplite regem,
Ter demiſſus humi, patrium quaſi numen, adorat:
Atque ait. Infelix Stygias Dux Meltridis vmbras
Aeterna ſub nocte colit: quem tradidit orco
Ante meos oculos inopina morte peremptum
Vis occulta mali, aut irata potentia cœli:
Inuiſus quoniam Superis vixiſſe, ſuiſq.
Dicitur, & fœdo luxu maculaſſe penates.
Te nunc Meltridei quærunt: tu ſtemmata regnis

Hæc adiunge tuis: nec ſint ea munera parui:
Aut lege, qui regnet: fuerit tua ſacra voluntas
Imperium plebis, lex inuiolata Senatus.
Nuncius hæc. hilaris ſed Rex oracula cœli
Tranquilla iam mente capit; noctisq. nefandæ
Inſidias, Erebiq. dolos iam ſentit apertos.
Mox iubet acciri veterum collegia Patrum;
Quorum conſilio maiorum pondera rerum
Componit, regniq. ſui moderatur habenas.
His Stygias aperit fraudes, decreta Tonantis.
Exitiumq. Ducis. taciti miracula Patres
Ediſcunt, firmantq. hilares ſuffragia coeli.
Ducitur interea iuſſu quoque Regis in aulam
CATALDVS; primoq. putat, ſe limina mortis
Ingredi, & humanæ grauiora pericula vitæ.
Nec metuit, refugitue necem: quin ſponte laceſsit
Lictores, & ſe verbis his excitat vltro.
Expectata dies ſalue, ſaluete propinquæ
Signa necis, ſtabili quam pectore ſemper amaui.
Incipio nunc luce frui; nunc cernere coelum
Comminus, atque animam Domini miſcere triumphis.
Tu, ſiquid meruit ſanguis tuus, alta poteſtas
Intemerata poli, mihi da modo poſſe volenti
Ferre genus quodcunque necis: nec ſæua leonum
Guttura concludas; adimas nec robora flammis.
In reliquos clemens, tumidas exerceat iras
Rex mecum: feritas tortorum tempore creſcat:
Vulnera vulneribus ſuccedant, verbera plagis:
Et fluat in riuos cognato ſanguine ſanguis.
Ne ve ſemel moriar, liceat mihi poſſe reuerti,
Atque animare iterum lacerati corporis artus;
Succedamq. nouis cruciatibus; atque viciſſim
Nunc vitæ, nunc mortis iter nullo obijce tranem.
Hæc illum à Domino conſtanti corde petentem
Ad Regem ſiſtunt famuli: qui protinus ora,
Intrepidumq. viri pectus meditatus honorat,

Quem prius aspectu crudeli exhorruit; auget
Et veras laudes, qui iam conuicia finxit.
Atque ait: O felix, cuius sic numina coeli
Nomen amant, Stygij quem sic odere tyranni:
Sat male iam de te merui, delusus ab vmbris
Tartareis: agnosco nefas; quod vindice luctu
Expungam, lacrymisq. pijs, gemituq. perenni.
Vel grauiora iube: tuus est reus, auspice coelo
Qui nuper fuerat iudex electus ab Orco.
Nec satis istud erit: pensanda iniuria facti
Maiore obsequio. succedant stemmata vinclis,
Quæ sacras stinxere manus: cape Meltridis arces,
Atque libens animos populi moderare volentis
Consilijs, Dux alme, tuis; nostriq. laboris
Esto comes: coeli sic vera oracula poscunt,
Hæc ait; atque homini, toto plaudente Senatu,
Assurgit, prensatq. manus, soluitq. catenas;
Atque alacer sacræ descendit in oscula frontis.
Certatim accurrunt proceres, exempla secuti
Regia; complexiq. virum, maioribus vrgent
Blanditijs; dubiamq. vocant ad gaudia plebem.
At necis ille auidus gazas contemnit, & ostrum,
Illecebrasq. patrum: paulum nec tollere vultus
Audet, & ad tantos humilis pallescit honores.
Moestaq. funereis miscens quasi verba querelis,
Tali nequidquam compellat voce Tyrannum.
Non igitur rapidis nostra hæc laceranda relinques
Membra feris? igitur nec carpent nostra volucres
Viscera, nec canibus seruamur præda molossis?
Viuam igitur, viuam. quanquam ò (sed tanta mereri
Haud equidem potui) Viuam; terræq. relinquar
Pondus iners. quid plura petis? quid congeris vltro
Diuitias regum? quid me super æthera tollis,
Vt lapsu grauiore ruam? da Meltridis vrbes
Cui terrena placent: nec me succedere regnis
Alterius cogas, ac spem fraudare nepotum.

Hæc ille ingeminat: Rex contra ardentius instat,
Ne violet præcepta Dei. Prò viuida virtus,
Raraq. vis animi. quando hæc certamina vidit
Prisca ætas; vt sceptra darent, & stemmata Reges
Sponte sua; & fugeret melioris commoda vitæ
Indiga paupertas? genuit sanctissima CHRISTI
Relligio tales hac Mundi ætate ruente
Contemptus rerum: docuit spes certa salutis
Ad rapidas flammas, ad guttura sçua ferarum
Immeritum damnare caput, vitęq. labantes
Odisse illecebras, atque exoptare perennes.
Pareret Patribus tandem, Regiq. volenti
CATALDVS: nisi, qui Domini se vouerat aris,
Et iam Leuitę decoratus munere sacrum
Exercebat opus, timuisset pondere regni
Coeleste obsequium curis miscere profanis;
Meltridis hinc veritus populus, prudensq. Senatus;
Maiestatis onus penitus ne temneret Heros
Aeternę vitę studio, illi ingerit vltro
Diuinos titulos, Pastorisq. auget honore.
Rex firmat decreta Patrum, & suffragia plebis;
Meltrideasq. Vrbes Domino largitur in æuum,
Pontificisq. auget decus, imperiumq. perenne.
Attamen ille humili tales è pectore voces
Fundebat. Iam cedo tuis, Rex optime, votis;
Iam Domini pręcepta sequor: meliora poposci
Dona; sed indigno Superi meliora negarunt.
Tu tamen addiscas quę non docuere parentes;
Pręteritumq. nefas reluas lustralibus vndis.
Hoc satis ad poenas; modo detesteris iniquas
Delicias, ritusq. patrum, moresq. priores.
Hæc ait: & cernens mox regia viscera flammis
Accendi æthereis, aperit sacra dogmata legis
Diuinę: atque animum, Stygia iam fraude retecta,
Informat dictis coelestibus. Ille magistri
Verba notat, stupet & ritus; sensimq. sub imo

Pectore parturiunt Fidei sacra semina vitam.
Exclamat tandem: Credo, venerabilis Heros;
Credo iterum quodcunque iubes. has ablue sordes
Ergo citus; ne forte meis furialibus ausis
Plus nimio offensus Dominus, penetralia coeli
Obstruat, & scelerum medicamina tarda repellat.
Nec mora; CATALDVS, coelestia verba profatus,
Vitales spargit laices. rigat vnda capillos,
Abluit & maculis animam, Dominoq. maritat.
Iam verò videas cumulari altaria donis,
Turbari simulacra Deum, populiq. fidelis
Augeri numerum, & verę pietatis amorem.
Mercator tandem felix, his rite peractis;
Rege salutato, turritæ in Meltridos arces
Contendit. Sed fama prior peruenit ad vrbem.
Occurrit domino venienti prima senatus
Maiestas: hilarem læto clamore salutat
Plebs humilis; subitoq. ornat capita alta viarum
Frondibus arboreis: sternunt iter vndiq. matres
Vestibus; & croceo velamine tecta colorant.
Hinc pueri intonsi pariter, iuuenesq. decori
Læta canunt, pulsantq. vagis clamoribus vrbem.
Sancte veni: pater alme veni: felicia felix
Templa cape; & viduæ succede in Meltridos aulam.
Hic teneat te longa quies; hic tarda senectus
Occupet: atque aliò ne te vis altera ducat;
Vt moderere hospes peregrinæ pectora gentis.
Talibus obsequijs ad celsa palatia sistunt
CATALDVM. cuius crescit quò gloria maior,
Hoc mage cor premitur: languent nam pectora fastu;
In medijsq. cadunt nutantia colla triumphis.
Qualis luxurians seges inclinata recumbit,
Quò magis æstiuas fæcundant semina messes,
Et grauidas fruges cumulat felicior annus.
Iamq. vrbis faciem, iam nunc mutata videres
Corda hominum. læti exercent pręludia ciues

Susceptæ

Susceptæ Fidei ; detestaturq. iuuentus
Quotquot degeneres docuerunt crimina mores.
Cana fides, socialis amor, mens conscia recti
Hos populos tuta pariter ditione gubernat :
Tartareasq. parant nequidquam monstra barathri
Insidias : nam quisq. dolos cognoscit, & arcet ;
Illecebrasq. odit sensus, Mundiq. ruentis
Commoda ; & æternę suspirat gaudia vitæ.
At quoniam se tanto oneri, rebusq. gerendis
Non putat esse parem ; sacras partitur habenas
Bis senis socijs ; quos, tota è Meltride lectos
Egregia virtute animi, diademata nectunt.
CATALDVS mox ipse mitra meliora decorus
Eminet Antistes duodeno Præsule cinctus.
I nunc, & partos deuicto ex hoste triumphos
Commemora, Alecto infelix : iam Tartara discent,
Quàm robur Stygium coeli sit viribus impar.
En modo qui fuerat, te compellente, feretro
Proximus, ætherea non tantum vescitur aura,
Sed regnat : populiq. tui numerosa propago
Detestata Deos, veri sacra dogmata cultus
Edidicit. si bella iterum struis, improba, rursus
Experiere viri robur grauiore ruina.
At postquam sic ille diu pia pectora plebis
Instruxit Fidei cultu, monitisq. salutis ;
Visere conspicuas Solymorum destinat arces,
Et pręsens sacri venerari saxa sepulcri,
Quæ triduò tenuere DEVM, reliquosq. recessus,
Quos dudum celebres fecit, dum degeret hospes
Inter mortales, proles primæua Tonantis.
Tunc iubet acciri socios ; quibus ordine pandens
Quidnam mente agitet ; viduum comendat ouile,
Ereptasq. animas Erebo ; Satanęq. latentes
Insidias aperit, lacrymisq. ita fatur obortis.
Quò vocat Omnipotens, atque irreuocabile votum,
Ire decet, socij. Rachau vos templa, fideles,

Ad reditum seruate meum; populiq; dolorem
Lenite, & tantis vigiles insistite curis.
Nota Palestinę petimus confinia terræ:
Vt liceat tumulum, sacra & cunabula CHRISTI
Spectare, & reliquos, peregrina in veste, recessus.
Mox, ducente Deo, vel Meltridis arua reuisam,
Vel moriar procul hinc alienis aduena regnis:
Accipio quodcunque ferent decreta Tonantis.
Interea vestrum est (si quid meruere labores,
Quos subij, lacrymęq. meę) prohibere ruinas;
Ne Domini in segetes irrumpat callidus hostis;
Neu Stygias capiant coelestia culta pruinas.
Hæc ait: è que Patrum numero Rachuensibus aris
Præficit, & populis, mentis quem candor honorat,
Ingenijq. decus, nec non veneranda senectus;
Subrogat atque sibi; patris qui absentis vbique
Sustineatq. vices, sacrosq. exerceat actus.
Obstupuere animis proceres; doluitq. Senatus;
Nec tristes tenuit fletus plebs conscia facti:
Alternisq. addunt lacrymis alimenta dolori.
Quid faciant? querula nequidquam voce morantur
Pręsulis inuicti non mobile pectus; & addunt
Certa pericla viæ, subitisq. absorpta procellis
Nauigia, & dubias Syrtes, scopulosq. minaces.
Atque inter primos Senior successor Iberni
Hoc orsus sermone loqui. Cunabula CHRISTI
Cernere, & amplecti tumulum, quis dixerit vnquam
Non magnum pietatis opus? sed consulis vni
Ipse tibi: solum tua respicis; omnia turbas
Interea; inque tuos populos sæua agmina Ditis
Armas, quæ præsens procul hinc arcere solebas.
Percusso pastore pecus quæ damna sequantur,
Nosti. sexcentos habeat licet agmen Achilles,
Si dux deficiat, languet: si mille carinam
Impellant nautæ, dum absit procul ipse magister,
Naufraga puppis erit: possunt nec sidera coeli

Cuncta simul, præfert vna quod lampade Phœbus.
Me legis, vt præsim. potuissem hac sorte secunda
Extolli: tantoq; oneri succedere lætus
Ad reditum, Pater alme, tuum. sed Præsulis impar
Sufficior meritis: nec, si me prouocet hostis,
Congrediar virtute pari. Sub vertice montis
Sinæi conflat vitulos Iudæus apella;
Erigit hisq. aras, Nabathæa & thura ministrat;
Quòd procul est Moses: Aaron nec proximus audet
Tam dirum prohibere nefas, populiq. tumultus
Sedare, & tantas animorum auertere pestes.
Prætereunte Petro, quot languida corpora curat
Corporis vmbra sacri? poterit quid viuida virtus,
Quid dotes animi; si præsulis vmbra medetur?
Ergo tuis assiste ouibus, ne perdat herilem
Cura aliena gregem. quos tot genuere labores,
Et lacrymæ natos, alij cur tradis alendos?
Hæc ille insinuat: cui contra ardentior instat
CATALDVS; superatq. senem, pia dicta refellens:
Egrediturq. domo; celeriq. ad littora gressu
Contendit, magna procerum comitante caterua,
Qui se vltro asciscunt socios votique, viæque.
At nullum admittit; solus conscendit Ibernus;
Atque humili sub veste tegit virtutis honores.
Iam classem tenuis deducit ventus in altum:
Illi oculis, gemituq. virum, lacrymisq. sequuntur;
Nec possunt miseris animum cohibere querelis.
Quò fugis? exclamant. cui nos, pater alme, relinquis?
Heu quantas referet, te discedente, rapinas
Hostis Tartareus: quantas obtendet Auerni
Arbiter insidias ouibus: quas nuper abactas
E Stygijs latebris poteras ad pascua cæli
Ducere, & æternæ donis cumulare salutis.
Et patiere tuis tam tristia fata parari
Pignoribus? patiere mori, quos sanguine CHRISTVS
Eripuit letho, sæua quos cæde redemit?

Hæc illi ingeminant. celeres sed carbasa venti
Impellunt, adimuntq. ratem. stat puppe Magister,
Atque iter incertum pelagi metitur, & Arctos
Obseruat geminas, & frigida plaustra Bootæ.
Oceani interea glacialis nauita fluctus
Scindit, Bolerij linquens in rupe Britannos:
Vlteriusq. volans, retrò dum cedit Ocrinon,
Paulatim nostri retegit confinia Mundi.
Primaque, quæ nobis sunt vltima, saxa Gobæi
Prouidus euitans, Aquitanica littora transit.
Inde Pyrenæos medijs demonstrat ab vndis;
Pugnax quà validis Celta est diuisus Iberis.
Mox socijs laudat quæ Tarraco vina ministrat;
Cantabricosq. secat fluctus; scopulosq. Trileucos
Radit; & Artabros transit; Tamarisq. fluenta;
Turia mox signat quos Lusitania fines
Accipiat, Bœtis quibus alluat arua colonis;
Aurea vbi nullo tinguntur vellera fuco;
Tartessi succedit apex; vbi tempora vitæ
Longa vigent: placidi tanta est clementia coeli.
Stant propè tergemini felicia culta tyranni,
Siue Erythia ferax, seu sit minor altera Gadis.
Hinc subit Herculeas obliquo tramite fauces
Nauita, quà dubios iterat magis vnda refluxus;
Quaq. celer nostrum sese diffundit in orbem
Oceanus, mediosq. implet telluris hiatus.
Caspius hinc Atlas nutat sub pondere coeli:
Et Mauritanæ diffusa mapalia gentis
Apparent; geminæq. latent post terga columnæ;
Geryone extincto, quas iam Tyrinthius heros
Erexit; nautis iam dudùm meta laborum
Fluctiuagis; nunc prima tenent vestigia cursus
Immensi, occiduos audax quà venit ad Indos
Italus, atque alios Orbes quæsiuit Iberis.
Haud procul hinc Baleare fretum sua murmura miscet;
Et minor excrescit, virides Ophiusa dracones

Quæ nutrit; littusq. vagum spectatur Ebyssi,
Insula quæ nullis vnquam est fœdata venenis.
Iam iam Cyrnæos dextra, Liguresq. sinistra
Nauta videns, digito Sardoa cacumina monstrat;
Tetrica lethales ludunt vbi funera risus;
Mox mare Tyrrhenum tentat, Latijsq. propinquat
Oris, quas flauus Tybris circumfluit vnda:
Laurentesq. agros signans, veteresq. ruinas
Lauini, & stratas, tenuit quas Ardea, turres,
Insidiosa fugit Titanidos atria Circes;
Et tutos intrat portus, quos aduena noto
Dardanidæ nutrix decorat Caieta sepulcro.
Hinc Sirenæos scopulos ne cerneret hospes
Nauita, nec semper sinuosi littoris algam
Raderet, in medios fluctus, Aquilone secundo,
Proruit; & læua fauces graue olentis Auerni,
Et puteos vrbis Samiæ procul indice monstrat;
Languida vbi medicis curantur corpora lymphis:
Nec procul Inarimen, quæ cæca incendia nutrit,
Frænat & inclusos resonanti murmure ventos;
Vnde oritur damnosa lues. vix æquore tanto
Pausilypi assurgunt colles, vbi libera carpit
Ocia Parthenope. Capreas præteruolat alnus.
Interea, atque altæ retegit vix culmen Amalphis.
Nanque gubernator, fugiens fera saxa Pelori,
Et lethale fretum, voluit retinere Pachynum;
Vt longos legeret breuiori tramite cursus.
Sed pluuialis hyems, æquor vexantibus Austris,
Messanam deflexit iter, Siculisq. retorsit
Faucibus; vnde minax immurmurat vnda Charybdis,
Et canibus quà Scylla ferox tenus inguine latrat.
Rhegini patuere sinus, Locriq. sequentes,
Et colles, fuerant vbi templa Lacinia quondam.
Hinc penetrent quocunque rates, capit vnda Tarento
Nomen ab Herculeo; properè quò classis Iberia
Isset, ni rector, spatijs breuioribus vsus,

In Calabros puppim, proram vertisset in altum;
Sic, vt in extremos portus veheretur Hydrunti.
Vlterius quò, Præsul, abis? quò carbasa flectis?
Hæ tibi debentur turres; hæc mœnia donant
Cœlicolæ; satis est pelagi, quod in Orcadas vsque
Funditur, immensum; sunt hæc speciosa Tarenti
Littora: flecte ratem: nisi tua vota retardent;
Nec miseros patiare mori, quos cura Tonantis
Destinat esse tuos: hic insula texitur ostro:
Hic tibi thura calent; hic templa immania surgunt.
Seruasti patriam ciuis, nunc hospes auitos
Linque lares; patriæ alterius miserere ruentis.
Flecte ratem: vel quando tuæ sententia menti
Stat tumulum spectare DEI, sacrosq; recessus;
I felix, felixq; redi: te sospite, sospes
Hæc erit vrbs, veteri Neptuno subdita quondam;
Mox tibi maiori titulo, meliore sacello:
Huc æterna venis populi custodia nostri,
Communisq; parens: nec te transmittet Olympus
Denuo, vt alterius regni modereris habenas.
Interea puppis transcenderat vndique fines
Hesperiæ, atque omnem Tyrrheni littoris oram.
Iam secat Ionium pelagus; dextrumq; reflectens
In latus, à læua prærupta Ceraunia vitat,
Antraque fulmineis crebrò succensa sagittis.
Stat procul Epirus, quà Sol sub sidere Cancri
Parte oritur: cedit retro variabile semper
Ambracium pelagus: portum Corcyra ministrat;
Naufragio Corcyra tuo, Laertia proles,
Nota magis, quàm quod Phæacia poma refundat,
Alcinoique habeat celebrato nomine syluas.
Huic Cephalenæi succedit littoris vnda,
Dulichiæq. domus, & regna Ithacensis Vlyssei.
Fluctibus è medijs surgit mox alta Zacynthos:
Inde volant Strophadum volucres; hinc regna propinquant
Tantalidæ Pelopis, quà puluere Pisa decoro
Spargitur;

Spargitur; vnde fluit bibulis Alpheus arenis,
Qui procul Arcadia campis absorptus Achæis,
Exoritur rursus, Siculasq. irrumpit in oras.
Hinc vaga Messene sequitur, portusq. Methones,
Eruit vnde oculum lethalis arundo tyranno
Aemathio, retulitq. notis, se vulnus eodem
Inflixisse loco, quo iam decreuerat Aster.
Taygetum, instabili tangentem vertice nubes,
Tyndaridum cunis celebrem, de puppe Magister
Mox signat socijs; vbi iam Lacedæmona luget
Præteriens hospes, tacitasq. illudit Amyclas.
Hinc Acherontæas expandunt Tænara fauces,
In medium protenta fretum: littusq. Maleæ
Saxa notant, atque vnda minax, & murmura ponti,
Nullam vbi suscipiunt, nullam dant æquora pacem.
Præterit Oenopiam puppis; prudensq. Magister
Vrbibus illustrem centum demonstrat Oaxim;
Signat & Actæos populos; cursuq. secundo
Cycladas ingreditur medias; & Dorida transit;
Carpathiumq. legit pelagus; tumidamq. Colosso
Cernit adesse Rhodon: Pataram, Lyciamq. sinistra
Deserit, & longo contendit tramite Cyprum;
Inq. Amathuntæos deflectit carbasa portus.
Hinc cœptum metitur iter: Syriæq. recessus
Præteriens, Sidona videt, Tyriosq. propinquos.
Post multos tandem pelagi, cœliq. furores
Appulit ad saxum, quo brachia vincta pudicæ
Soluerat Andromedæ nexus meliore catena
Perseus, & priscam Cephei seruarat Ioppen.
Hic pius Antistes littus complexus amicum,
Tecta Simonis adit: quondam quæ maximus hospes
Incoluit Petrus, cælo cum vidit aperto
Quattuor appendi manibus genus omne ferarum;
Cumq. inopum fletu pallentia membra Tabitæ
Vitales iterum nutu deduxit in auras.
Hinc mox digressus Solymas contendit in arces,

Quò Sanctum pietas alieno ex orbe trahebat.
Obuia Nicopolis primùm, quò ductus IESVS
Sub tectis Cleophæ peregrina in veste resedit;
Quam dixere Emaus prisco de nomine ciues.
Non procul hinc Gabaon, vbi Dux Hebræus adegit
Sistere Solis equos, finemq. videre triumphi:
Hinc templa apparent, totum quæsita per orbem,
Aeliaciq. lares; quos dum procul aspicit Heros,
Oscula figit humi; deuoti pectoris ignes
Accendit, nudatq. pedes; actosq. labores
Oblitus, placidam fundit per membra quietem.
Nauita sic audax, sæuas vbi classe procellas,
Ignotiq. poli tentauit in æquore fluctus,
Post iter emensum dubium, si comminus arces
Inspiciat patrias, notosq. in littore ciues;
Nullos spumantis pelagi reminiscitur æstus,
Nullam ventorum rabiem; sed protinus algas
Complexus primas, cognato sanguine vulgus,
Atque Deos patrios læto clamore salutat.
Est locus, in medio terrarum consitus orbe,
Quondam extra muros Solymos, nunc vndiq. septus
Vrbe noua: vindex scelerum turpissimus olim,
Nunc sacer, & celebris: quò toto ex orbe frequentes
Conueniunt populi, tangit quos cura salutis;
Golgotha quem dicunt patrio cognomine ciues.
Mons, vbi primæuæ deleuit crimina culpæ
Arbiter omnipotens rerum: quem sæpe reuisunt
Siderei cœtus, ductisq. ex more choreis,
Læta canunt, Dominiq. sui meditantur amorem;
Ac tandem tumuli venerabile marmor adorant.
Hunc licet hostilis rabies, scelerumq. cohortes
Heu crebrò eripiant nobis, reddantq. Tyrannis
Eois, Dacisq. feris; custodia templi
Nos penes incorrupta manet: sacrosq. penates
FRANCISCI soboles semper tutatur, & ornat.
Felix progenies, quæ Relligionis honores

Inſtaurat, fœtuq. nouo fœcundat Olympum
Hoſtibus in medijs: quamuis Nabathæa per arua
Mars fremat, & totum bello perterreat orbem.
Huc humili greſſu properat, vultuq. pauenti
CATALDVS: lacrymisq. rigans manantibus ora,
Vix optata poteſt manibus contingere ſaxa
Præ gemitu: tantos pariunt ſpectacula luctus.
Mox, vbi compoſitos ſenſit ſub pectore motus,
Et potuit ſua verba loqui; ſic, lumina figens
In tumulum, tumuliq. tenens ſaxa infima, fatur.
Sancte lapis, cui vota extremo è cardine Mundi
Ad tua præſentes felicia marmora paſſim
Soluimus, atque pijs cumulamus limina donis;
Tu meritus tenuiſſe DEVM: tu ſuſcipis aluo
Exanguem Dominum, viuum pariturus ad aſtra:
Te lacrymis viduata parens, & fletibus ornant
Feminei cœtus, ſponſi properata gementes
Funera. quas referam grates? præconia laudum
Quæ tibi proponam? celebret te lingua Tonantis;
Gratus & hoſpitio tibi debita præmia ſoluat.
Quid tibi cum terris, æquas qui culmen Olympi?
Maxima quæq. tuis debentur ſidera ſaxis
Non genitale ſolum, non gens tam ſordida cultu.
Et forſan, quando lux vltima fulſerit orbis,
Angelicis manibus felix geſtabere marmor
Sidereæ poſt ſigna Crucis, poſt hiſpida dumis
Stemmata, poſt teretes clauos: quò ſecula diſcant
Præterita, immani fuerit qua morte peremptus,
Quo tumulo Dominus vitæ melioris origo
Compoſitus; lotus quo tandem ſanguine Mundus;
Debeat & quo ſupplicio ſcelerata propago
Humani generis plecti, quæ dona ſalutis
Spreuerit, & tantum non compenſarit amorem.
Interea mea vota, lapis ſanctiſſime, CHRISTO
Redde tuo; vt per te merear quodcunque repoſcam.
Diuitias alij quærant, & commoda luxus,

Et

Et vita meliore frui: mihi deneget orbis,
Quidquid habet: solum contendo sordibus æui
Eripere hanc animam; veniens quo rector Olympi,
Qui Zephyros inter ludens vaga lilia solum
Quærit, & immundæ refugit contagia mentis,
Nil in me inueniat, iusta quod corrigat ira.
Vel, si quod supplex cupio non assequar, vltro,
Deuoueo hos artus tumulo, vitamq. perosus
Detestor; nam malo mori, quam crimine turpi
Fœdare hanc animam, Dominiq. euertere leges.
Talia fundebat lacrymans sanctissimus Heros.
Mox animo subiere Crucis monumenta verendæ,
Quam Solymæ immanes (veniens ne disceret ætas,
Neu coleret sacri rutilantia signa triumphi,
Quem meruit Dominus post Tartara victa) sub imis
Condiderant terræ penetralibus. Appetit ergo
Complecti vitale decus, lacrymisq. rigare
Aethereum germen, pressit quod colla Tonantis,
Qui digito appendit terrenæ pondera molis.
Nec dum Helenæ pietas tenebris tam nobile pignus
Eruerat: necdum dederat toto orbe verendum.
Sidereis igitur flammis penè obrutus Heros,
Has auido secum geminabat pectore voces.
Si nunc se nobis ille abditus vndique ramus
E sacris pandat latebris, Solemq. reuisat,
Quo Stygis, & Lethi squalentia claustra Redemptor
Fregit, & æterno percussit vulnere Ditem,
Aethereasq. suis reserauit ciuibus arces:
Quo fletu abluerem! quot nexibus vndique truncum
Sidereum premerem, haud hederis victricibus impar!
Quæ vota offerrem! peterem quæ dona vicissim!
Vix ea fatus erat, cum iam propè limina templi
Aspicit optata appendi vexilla, sacrumq.
Circumquaque auro lignum, gemmisq. renidens.
Obstupuit primo aspectu, lacrymisq. profusis
Ingemuit, doluitq. magis, quàm tristis Iacob,

Cum vidit laceras mentito ex vulnere vestes,
Et fictum luxit non ficto carmine funus.
Atque inter gemitus: Ergo quod sanguinis, inquit,
Imbre Deus lauit lignum, perfundere saltem
Non deceat lacrymis? moriens vbi languit ille,
Non dabitur mihi posse mori? quos restat in vsus
Hæc anima? an pompas melioris funeris ambit?
Vita vale: mors grata magis sub stipite sacro,
Quàm regnare alibi. Solyma digressus ab vrbe
Helias, istac tandem defessus in vmbra
Appetijt mortem, timidus quam fugerat ante:
Hic mihi parta quies igitur: sacra arbor amanti
Sit domus, aut tumulus. valeat iam dulcis Iberne,
Et Rachûense solum: totus mihi sordeat orbis.
Quo tamen hos viduos exornem carmine ramos?
Non viduos quondam regerent dum membra Tonantis.
Hoc ligno Israel botrum deduxit ab Hebron,
Promissæ & didicit iam proxima commoda pacis.
Percutit hoc petram Moses; vt diuite vena
Optatos quærat latices, populiq. tumultum
Comprimat, atque sitim restinguat fonte perenni.
Mysticus hinc pendens mox æneus anguis abegit
Agmen vipereum, & contagia sæua repressit.
Crux igitur salue, toto venerabilis æuo:
Empyrei tu sola aperis sacra limina: tollis
Tu clausas adamante fores, Dominiq. triumphos
Accumulas: tu sola domas Acherontis alumnos:
Tu pedibus terram, tu sidera vertice tangis,
Astris splendidior, cæloq. beatior ipso.
Quæ tibi dona feret, quæ vota exoluet Ibernus
Hospes, inops? si dona petis, quæ verus amanti
Tradit amans, me me iam suscipe: cætera pro te
Deserui; tu sola mihi nam sufficis: ipse
Non satis esse tibi possum, quæ suscipis artus
Diuinos, Dominumq. capis, qui sustinet orbem.
Quòd si nil poscis, soloq. hoc munere gaudes,

Debita iam dabitur per me tibi victima CHRISTVS.
Sic fatur, niueisq. indutus vestibus aram
Ingreditur, sacrumq. facit de more Sacerdos;
Sacrum, quod postes vtroque à cardine clausos
Sidereos aperit; verbisq. potentibus audet,
Quod rerum natura nequit, quod Tartarus horret.
His ergo eximia, vt decuit, pietate peractis,
Ex oculis subito CATALDI euanuit arbor
Vitalis, vel se notis immiscuit astris.
Tunc Pater vsque adeo optatæ dulcedinis expers,
Insequitur lacrymis fugientem, ac talia fatur.
O Erebi, Satanæq lues, ò clauis Olympi
Aurea, quo temet rursus telluris hiatu
Obruis? aut quibus heu penetralibus abdis amicum
Præsidium nostri generis? quis sponte lacessat,
Quisue Acherontæos vultu perterreat hostes;
Et nobis animos, & robora firma ministret?
Quare in membra furunt CHRISTI tetra agmina Ditis,
Atque armant in nos crudelia corda Neronum,
Tu nisi quòd nobis cælestem præripis ensem,
Iu tenebris, latebrisq. iacens iam proxima Auerno?
Talia poscenti DEVS adfuit: atque latebris
Interni illapsus dulces has pectore voces
Format; & æternis annalibus abdit Ibernum.
Iusta petis: nec enim fas est tellure recondi,
Atque inter tumulos, lignum venerabile vitæ.
Tempus erit, vexilla Crucis cum pronus adoret
Orbis, & æterni celebret monumenta triumphi.
Nunc hostes regnant: qui quamuis sanguine Tybrim
Innocuo passim fœdent, Latiasq. lacunas;
Martyribus passim diuina palatia complent,
Et veteres reparant immani cæde ruinas.
Sed grauiora manent certamina. Commodus vrbem
Degener inuadet, patrijs virtutibus impar;
Mox sua bella geret contra agmina nostra Seuerus;
Et poterit Caracalla suos agitare furores.

Imbellis sequitur, luxu fœdatus inerti,
Illuuies Orbis, famis insatiata vorago,
Et vitæ pestis, sæua & contagio morum.
Paucos prætereo, quorum execrabile nomen
Tartara cæca tenent. Decius prius occubet vmbris,
Quàm Crux eniteat. Pereant duo fulmina cædis
Horrificæ. Mox & pacem diffundat in Orbem
Constantinus, amor populi, spes firma Senatus.
Huius casta parens nostra hæc vexilla recondet
Nobiliore loco, latebris effossa vetustis.
Iuncta & stipitibus geminis Crux nostra nitebit
Nota parum titulo; sed quòd funebre cadauer,
Seminecemq. hominem tactu subducet ab vmbris.
O qualis pietas, ò quanta micabit vbique
Relligio, & culti passim sine crimine mores.
Aeneadum soboles veteres desueta furores,
Et complexa Fidem, tunc, quod lucebit in armis
Militiæ signum, venerabitur: atque salutis
Auspicium credet, quod iam delusa putarat
Prodigium infaustæ cædis; septemq. decoros
Hoc signo reddet colles; totumq. per orbem
Transfundet ritus, quos nunc malè sanus abhorret;
Et compensabit teterrima vulnera læsæ
Iustitiæ sero obsequio; quò crimina purget
Sæuitiæ, & veterum scelerum vestigia tollat.
Hæc DEVS insinuans hilarem dimittit Ibernum.
Qui mox & reliquos cupiens spectare recessus,
Ductorem sequitur, totam scrutatur & vrbem.
Pontificis domus hæc: hæ Præsidis alta columnæ
Atria fulserunt. genitrix hic obuia nato
Concidit, & geminam sensit sub pectore mortem;
Hoc Salomonis opus; sunt hæ Bethsaidos vndæ:
Spiritus hæc almus subijt cœnacula, flammis
Aethereis cinctus; maiora vbi, morte propinquâ,
Sacramenta Deus sanxit, Sponsæq. reliquit.
Hinc iam digressus, Bethlem quò accederet hospes,

In dextrum deflexit iter; qua parte Rachelis
Cernitur insignis tumulus, cineresq. beati.
Iamq. antrum ingreditur, sub quo VIRGO inclyta partu
Edidit Empyrei Regem, ptolemq. Tonantis
Aeternam: nunc sacra domus, præsepia quondam,
Præfulgens quò stella Magos deduxit Eoos;
Bos vbi cognouit Dominum, cœliq. cohortes
Duxerunt lepidas, mundo inspectante, choreas.
Mox vrbe egressus Præsul descendit in Haran,
Pastor vbi quondam toties sudauit, & alsit
Isacides delusus amans; vbi nocte beata
Pastores Superos meruere audire canentes.
Mox Gazæ metitur iter, fontiq. propinquat,
Candacis Eunuchum lauit quo dextra Philippi
Crimine præterito; dominæq. remisit Olympo
Ascriptum, & Stygij raptum Phlegetontis ab vnda.
Bethsuræ fines transit: dextræq. secutus
Signa viæ, postquam celebrem deuenit in Escol,
Miratur grauidas plus vno tempore vites,
Quæ genuere botrum, pauidus quo nouit Hebræus
Promissæ telluris opes: mox intrat in aulas,
Quas dicunt Saræ cellas, cunabula quondam
Promissi infantis; funditq. sub ilice Mambræ
Solennes de more preces, longæuus vt Abra
Hospitio excipiens Dominum veneratus adorat.
Hinc Sole occiduo conscendit fertile Chebron,
Australesq. plagas: quondam Machabæus Iudas
Quas domuit, flammisq. dedit victricibus vrbes.
Postera iam tenebras oriens Aurora fugarat;
Cum stetit Antistes Caphari sub vertice montis;
Hinc stupet Engaddi stillantia balsama vitis,
Seruatamq. Dei præclaro munere Segor.
Hinc & Pentapolis poterat spectare ruinas,
Atque Asphaltitæ scelerati nominis vndas,
Tempore quæ nullo viuentia corpora mergunt.
Sed procul hinc fugiens, repetito tramite, montem

Scandit

Scandit Oliueti; vt videat vestigia plantæ
Sacra DEI defixa solo, cum ferret ad astra
Seq. suasq. Erebi raptas de limine prædas:
Quæ nunquam potuit vel longa abolere vetustas,
Vel peregrina manus; vel sæua licentia ferri.
Mox antrum ingreditur celebrati nominis, vnde
Lazarus ad Superos redijt reuocatus ab vmbris.
Hic pius Antistes repetens quæ gesserat olim
Hoc tumulo Dominus, lacrymis ita fatur obortis.
O semel, atque iterum felix; venerabile marmor,
Quod potuit lacrymis proles æterna Tonantis
Irrorare suis: quas si legisset Olympus,
Ornasset sacris rutilantia sidera guttis:
Quas Phlegetontææ possent si lambere flammæ,
Spectarent subitò tenebrosa incendia manes
Extingui, & flores Stygio de cespite nasci.
Quæ tibi dona feram? nostros nunc accipe fletus;
Imbribus atque sacris, auido quos ore bibisti,
Immisce has lacrymas. vtinam perfundere saxum
Sanguineis guttis, voto meliore, liceret.
Oscula, sic fatus, defixit mille Sacerdos
In lapidem; & potuit tandem vix inde reuelli:
Atque instar cerui fugientis, lumina crebro
Et gemitu, & lacrymis ad marmora sacra reflectens,
Bethanios intrat muros, tutosq. recessus,
Hospitio Domini illustres; Marthæq. labores
(Sed non laude pari) germanęq. ocia laudat.
Hinc Hiericunta petens, animo quasi cernit, & audit
Illum seminecem, quem nec Leuita, nec vnxit
Cura Sacerdotis, sed mox Samarita refecit.
Iuxta iter emensum Zachęi cernitur arbor,
Vnde hilaris vidit Dominum, hospitioq. recepit:
Galgala castra patent; raptiq. ex gurgite sacro
Bis seni lapides; & fons, quem dulcibus vndis
Miscuit exhaustis vates operosus amaris.
Mox & Iordanis latices, humilisq. salutat

Flumen,

Flumen, Hydaſpęis fulgentius vndique gemmis,
Extinguitq. ſitim cupidè; & ſudore madentem
Abluit, & tenui fœdatum puluere vultum;
Lotus vbi quondam Dominus, Baptiſmatis vndas
Sacrauit, meruitq. Patrem deducere teſtem
Aeterni partus, aperire & limen Olympi.
Hinc vallis ſuccedit Achor, vbi vindice flamma
Aetherea, miſeri ceciderunt pignora Charmi.
Cernitur inde Bethel ſaxum, cui nixus Iacob
Scandere ſidereos vidit ſuper æthera ciues.
Ante oculos Silo eſt, vbi diruta ſaxa videntur
Altaris, quod priſca DEO ſacrauerat ætas.
Inde Sichem tranſit Præſul ſub monte Garizim;
Et templum ingreditur, quod adhuc prope limina ſeruat
Illuſtrem puteum, ſaxumq. beatius aſtris,
Sedit vbi Dominus, cum viuida verba locutus,
Ad vitæ melioris iter Samaritida traxit.
Hinc vrbem penetrat, quam tunc dixere Sebaſten;
Quæ patrum, proauumq. memor, venerabile templum
Struxerat Abdiæ tumulo, cineriq. loquenti
Vatis Heliſæi: qui mortua corpora vitæ
Reſtituens vita functus, felicia monſtrat
Tempora, & incluſus tumbis oracula profert:
Inde fluunt ſemper miracula; ſemper abacti
Dæmones, arreptos homines qui millibus vrgent
Tormentis, finguntq. animos, rabiemq. ferarum.
Hinc videas mugire boues, rugire leones,
Hinc vlulare lupos, atque oblatrare moloſſos.
Ille rotat deforme caput, ſpumoſaq. dente
Labra premit: gemit ille ferùm: poſt terga retortus
Ille recumbit humi: ſuffuſos ſanguine, & igne
Ille oculos vibrat. ſed dant medicamina cunctis
Felices cineres: & mox his addet honorem
Præcurſor Domini ſaxo tumulatus eodem.
Vrbis Nazareæ latebras hinc luſtrat Ibernus,
Et ſacros adytus, quondam quos VIRGO beata
Incoluit;

Incoluit; Gabriel quò mox demissus Olympo
Ingreditur; matremq. DEO, cœloq. maritat.
O regio illustris, pars ò sanctissima Mundi,
Felicesq. plagæ; quæ tot seruatis in æuum
Gesta DEI, monumenta Patrum, miracula cœli.
Heu cui seruitis domino? quibus æra tyrannis
Soluitis? ah gentes Italæ, sacra agmina CHRISTI,
Et quos lentus Arar, diues quos lambit Iberus,
Quid struitis? quæ caussa moræ? quis prælia differt?
Heu profugi has oras, Thraces hæc regna tenebunt?
Vos mersos torpore graui, timidoq. veterno
Nil bene moliri, nullis assuescere bellis?
Aut, si quando furor, vel non placabilis ira
Vos trahit ad pugnam, ciuili sanguine dextras
Turpare, & ferro socias euertere gentes?
Fraternæ pereunt acies: concurrit in arma
Crux aduersa Cruci. retinent sine lite sepulcrum
Interea Domini immanes Mahometis alumni.
Conspicuumq. solum, maduit quod sanguine CHRISTI,
Est vbi parta salus Mundi, cœliq. ruinis
Instauratus honor, canibus data præda molossis.
Sacra Palestinæ tandem deserta peragrans,
Atque Arabum fines, Syrioq. à limite cinctas
Ad Casios montes Præsul longo obijce valles,
Horret gemmatæ rutilantia pondera mitræ,
Et vitæ fugientis opes; patriæq. vocantis
Assiduos spernit gemitus; auidoq. salutat
Ore nemus: sibi namque putat spelæa ferarum,
Desertosq. locos, & opaca silentia syluæ
Felix hospitium; quò nec scelerata voluptas,
Nec possit discors hominum penetrare tumultus.
Paulatimq. ardet reliquam traducere vitam
Illis in latebris, soli manifestus Olympo.
Sic fugiens aurum, chalybem trahit abdita virtus
Magnetis: tenuis sic allicit herba capellas,
Quas non lauta mouent hilaris conuiuia mensæ.

His ſtimulis accenſus adit nemus, vndique ſeptum
Rupibus abruptis, ſcopulisq. minacibus; vnde
Aufugeret catulis etiam viduata leæna,
Hyrcanæq. tygres: tanta eſt male olentis Eremi
Aſperitas, adeoque horrentibus inuia ſyluis.
Hæc inter deſerta videt venerabilis Heros
Exeſum, crebrisq. rigens ſub cautibus antrum:
Occluſosq. notans contexto vimine poſtes,
Credit ineſſe virum; nam comminus omnia luſtrans,
Exaudit raros gemitus, & murmura vocis
Languidulæ. ergo moræ impatiens ſic incipit vltro.
Felices animæ, labentis commoda vitæ
Quæ fugitis, curasq. hominum poſuiſtis inanes;
Nutantem ſeruate virum: prohibete ruinas,
Quas timeo; morumq. aliquos adhibete magiſtros.
Sat patriæ fines ſpectauimus: ocia nobis
Capta ſatis: mores alios nunc altera poſcit
Aetas: me vobis adiungite: ſarcina forſan
Non grauis in veſtris ſpectabitur addita ſyluis.
Vix ea fatus erat; conuerſo cardine, poſtes
Cum paruæ patuere domus: apparet Iberno
Ieiuna aſpectu macies; barba horrida mento
Ad pectus demiſſa pium: longisq. ſepulta
Penè ſupercilijs, fletuq. exhauſta perenni
Lumina; vir pallens, cuius veneranda ſenectus
Criſpabat faciem rugis, tenuiq. tegebat
Oſſa cute; &, canis villoſa in tempora fuſis,
Augebat ſacros longæuæ frontis honores.
Hic igitur, precibus Domino de more ſolutis,
Ne qua fraude Satan Stygijs imbuta venenis
Tela ferat, pacemq. adimat, victorq. recedat,
Has tandem placido depromit pectore voces.
Quiſquis es (haud equidem credo cœleſtibus vſquam
Inuiſum, quem verba notant, oculiq. madentes
Inſignem pietate virum) nemora alta ferarum
Qui petis, & noſtros optas habitare receſſus:

Prælia dira ſubis, & non tolerabile pondus :
Regnatorem etenim nunc ſponte laceſſis Auerni,
Sæuaq. Tartareas accendis in arma phalanges.
Dæmones ah quoties ferali murmure noſtras
Turbarunt aures, noctisq. ſilentia feſſo
Ruperunt ! quoties furialibus agmina monſtris
In noſtrum ſtruxere caput ! Vaga ſidera teſtor,
Quæ ſola hæc ſpectant certamina : ſæpe furentes
Suſtinui, effœtum cum viribus vndique corpus
Per denſos traxere rubos, & pectora dumis
Fixere, & crebro lacerarunt verbere membra :
Tantis inuidiæ ſtimulis agitantur; & horrent
Tam genus hoc vitæ. quòd ſi poſt prælia pacem
Promittant, lædunt grauius, cum fœdera fingunt.
Iamq. animus meminiſſe horret; dum floruit ætas,
Dum viguit ſanguis ſub tempora prima iuuentæ,
Quàm me præcipitem luxus, ſuaſorq. malorum
Exagitarit amor : quàm crebrò fœmina noſtros
(Ah deforme nefas) illuſerit aduena ſomnos.
Hic toleranda fames, reprimant quam denique glandes :
Hic & longa ſitis præſentibus abſtinet vndis :
Hic breuis acta quies, durus labor, horridus annus.
Namque premit nos bruma gelu; nos Sirius ardor
Accendit : quoniam defeſſi corporis artus
Arboreæ frondes, vel ſtamen inutile cingit
Contextum villis, paſſim qui membra cruentent.
Omniaq. vt diſcas, fugimus patriamq. domumq.
Carorum amplexus, fratrum conſortia, vitæ
Delicias, ſociumq. torum : cæciſq. ſub antris
Condimur, aſſidui comites auiumq. ferarumq.
Ignariq. hominum. tantos tolerare labores
Inſpice num poſſis, tantiſq. obſiſtere bellis.
Hæc ille : huic contra Præſul. Mihi forſitan addet
Vires Omnipotens, ſolo qui nomine turbat
Tartareas acies, Stygiaſq. repellit in vndas.
Cætera non timeo; namque vltro ſordida luxu

Ocia detestor; lætusq. laboribus armos
Subijcio; gaudetq. tenax patientia vestris
Irrupisse malis. socium ne sperne sequentem,
Quò tu cunq. trahas. At habent sua commoda sylux,
Deliciasq. suas, quas tu, pater optime, coelas,
Ne diuina adimat solatia fastus inanis.
Est inter deserta Amalech, qui suscitet iras,
Hostilesq. acies scelerata in prælia cogat.
Sed præsto est Moses, cuneos qui vincat inermis
Armatos, fundensq. preces ex hoste triumphet.
Igniuomos angues trepidas? sed in aere pendet
Aeneus affixus serpens; qui damna veneni
Arcet, & accensas reprimit sub vulnere flammas.
Si fortasse sitis, laticesq. horrescis amaros;
En stipes, qui è fonte Marath aconita repellit.
Si desunt alimenta; cibos deserta ministrant;
Et populo altrices format DEVS ipse pruinas.
Glandes commemoras: cadit at peregrina conturnix
Has inter glandes crebrò, mensasq. saginat.
Rupibus opplentur syluæ: sed flumina currunt
Has inter cautes mellis redolentia guttas.
Aestuat hic Phoebus? texunt vmbracula palmæ.
Desæuit frigus? sed vestimenta vetustas
Non terit; atque ignes expirat præuia nubes.
His DEVS expressit primæua ætate figuris
Commoda syluarum: sed nunc meliora parantur.
Nam, quem longa fames lacerat, bibit ille frequenter
Ambrosiæ succos, ignoti & nectaris imbres.
Aestus quem cruciat, recreant sublimibus auris
Coelestes Zephyri: brumæ quem concutit algor,
Spiritus ętherëis fouet ignibus. ardua virtus
Ocia non patitur? generat labor ipse quietem.
Liquistis patriam? patrię succedit Olympus.
Solos esse piget? subeunt hęc antra frequentes
Siderei ciues. luxus pręcordia pulsat?
Lumbos pręcingit Dominus. fera bella minantur

Tartarei


Tartarei manes? certamina vestra triumphis
Omnipotens cumulat. paupertas horrida sæuit?
Pauperiem didicere pati, qui semper anhelant
Cœli diuitias, & non variabile regnum.
Has nuper mihi delicias, hæc ocia syluæ
Spondebant, tacitus cum per deserta vagarer.
Fac tamen hæc desint soli mihi: fortius insto,
Propositiq. tenax nulla mercede labores
Deposco: quoniam Domino seruire beatum est;
Quamuis nulla forent æternæ gaudia vitæ.
Audijt hæc, stupuitq. senex; paulumq. moratus,
Hospes, ait tandem, felix habitator Eremi
Esse potes: quoniam virtutis præmia reris
Virtutem; Dominumq. sequi per tela, per ignes,
Ablata mercede, cupis. nec seruus heriles
Diuitias ambis; sed quæ tibi sanxit Olympus,
Iura libens seruas; quamuis tibi cætera desint.
Ancipiti sed mente feror, num destinet antris
Te DEVS, has inter syluas, & lustra ferarum;
An maiora tibi rerum penetralia pandat.
Præterea genus hoc paucis imitabile vitæ
Nullus adhuc coluit: namque impia mostra barathri
Hæc habitant loca senta situ. sed fortior ætas
Mox veniens, poterit nemorum penetrare recessus.
Felix progenies, nimium dilecta Tonanti,
Orbem quæ fugiens, orbi celeberrima, & astris
Semper erit; latebrasq. petens, pandetur in æuum:
Namque adytis nemorum sacra nomina fama superstes
Extrahet, vt seri relegant pia gesta nepotes.
Ante omnes Iuuenis fugiens sua funera, syluas
Thebaidos penetrat: sed mox sæua agmina Auerni
Sustinet impauidus; cuius vestigia vitæ
Vrbe Paretonia egressus non æmulus impar
Inscius assequitur; trahit & tot millia secum,
Vt nemus esse forum, videantur & oppida syluæ.
Nunc quasi vestibulum colimus, quasi limen Eremi:

Sunt

Sunt nobis hæc antra satis: sat crimina vitæ
Diluere in lacrymis, & pondera ferre senectæ.
Hæc ait; atque hominem prærupto in fornice rupis
Excipit hospitio; mensamq. apponit, & herbas
Dispensat, glandesq. rudes: hæc prandia quondam
Relligionis amor docuit, sapiensq. vetustas.
Mox quærit: sæuis CHRISTI num sponsa Tyrannis
Subdita adhuc gemeret, mactataq. pignora passim
Fleret; an optatæ sentiret commoda pacis:
Protinus Antistes huic ordine singula pandit.
Syrus ANICETVS sacrarum pondera rerum
Sustinet: & Princeps AVRELIVS eminet Orbi.
Relligio ancipiti petitur certamine: fœdus
Nunc hostes violant; pariunt nunc prælia pacem.
Marcio nam Domini tenerum corrumpit ouile;
Sed purgat Polycarpus oues: hinc bella minatur
Montanus, Superumq. decus temerarius ambit;
Hinc Irenæus pacem diffundit, & hostes
Comprimit. At rursus maiora pericula surgunt:
Arbiter imperij quoniam est aggressus vbique
Impietatis opus; nostro qui sanguine fœdans
Victrices Aquilas, Superos, hominesq. lacessit
Vrbis in exitium: nam quos contagia pestis
Non violant, hostes perimunt: maioraq. forsan
Marcomanna lues incendia congeret orbi.
Hæc vbi percurrit Præsul, cæpere vicissim
Cœlesti sermone loqui; Superumq. choreis
Nescio quo calle admissi, quodcunque caducum,
Quidquid mortale est flagranti è pectore delent:
Immotisq. oculis, immoto corpore, nulla
Vitæ signa ferunt; auida sed mente tuentur,
Quà fas est homini, superi penetralia regni.
Post, vbi plena DEO gustarunt prandia, rursus
Apparent sensus vestigia; membra soporem
Excutiunt; vegetatq. prior sacra pectora motus.
Felices animæ, tali quas nectare pascit
Omnipotens,

Omnipotens, tantisq. epulis super ęthera nutrit,
Quę vos corporeę exoneratas pondere molis,
Fœcunda ęternis dapibus conuiuia replent?
Si tale exilium, quę vobis commoda seruat
Patria? Si tales hyemes, quę tempora veris
Aeterni? Si nox tam splendida, quale futurum est
Lumen, quod Solis radijs felicius ardet?
His epulis exempta fames; hoc nectare pasti
Membra humili posuere toro: nam roscida, cœlo
Pręcipitans, medium iam nox conscenderat axem.

FINIS LIBRI SECVNDI.



BONAVENTVRAE MORONI CATALDIADOS LIBER TERTIVS.



NON dum prima dies campis ſurgebat Eois;
Nec vaga fulgebat ſtellis Aurora fugatis;
Cum ſubitò aſſurgunt Patres, funduntq. ſeorſum
Corde gemente preces per amica ſilentia noctis.
CATALDVS deſerta petit: ſtetit alter in antro:
Vt ſic diuiſi ſpatijs feruentius imos
Exhalent gemitus; fructu amplectantur & ambo
Liberiore DEVM. Secum meditatur Ibernus
Commoda ſyluarum, genus & venerabile vitę,
Deſertas oblitus oues, patrięq. vocantis
Immemor. Aeolidę veterum ſic fabula finxit
Occurriſſe ſuos nautas; quibus Africa lotos
Delibata ſemel patrię reſtinxit amores.
Ille, vbi iam totus ſacros exarſit in ignes,
Diſſimulare magis potuit nec vota; potenti
Vrget voce DEVM. Ceu, cum pręcordia febris
Arripit, & miſeros ſenſim depaſcitur artus,
Aeger ſuſpirat latices, notoſq. liquores
Somniat, & fictas paſſim procumbit in vndas.
Hæc, ait, hęc deſerta peto, ſator optime rerum:
Hìc liceat mihi poſſe mori; nam ſordet Iberne,
Vileſcunt mitræ, & templi Rachuenſis honores:
Sola mihi deſerta placent; grauis orbis, & vrbes.
Sì dumos, ſi ſaxa negas, ſi luſtra ferarum;

Diuitias cœli, & patrij consortia regni
Quando dabis misero? quòd si tua certa voluntas
Non patitur mea vota; libens, quocunque vocaris,
Subsequar: hoc etenim cupio, quod suggeris; odi,
Quod prohibes. iterum mihi si committis Ibernen,
Iam puppim repetam, mensumque remetiar æquor:
Si mihi das sylvas, vrbes, hominesque valete.
Talia dum iactat, roseis Aurora quadrigis
Clarior humentem cælo dimouerat vmbram.
Nocturnæ cecidere faces: vix præuia Phœbi
Cernitur alma Venus: primo nam margine cæli
Frondibus è medijs dubius surgebat Apollo.
Lucidior non visa dies; nam comminus orbem
Conditor inflammat rutilo delapsus Olympo.
Audierat gemitus, & vota precantis Iberni:
Iamque venit, propiorque humili spectabilis astat.
Vndique maiestas fulget veneranda: nec vlli,
Sed sibi met soli similis; namque vndique corpus
Aurata sub veste tegit: cui cærula circum
Fascia sidereo decorat confinia limbo,
Bissenis referens cælestia signa figuris:
Lasciuitq. rubens per stamina fulua pyropus.
Crebraq. quæ rigidi fecerunt vulnera sentes,
Aurea cæsaries stellis melioribus æquat.
Sceptrum dextra tenet: triplex diadema coronat
Tempora: barba grauis, annisque virilibus ætas
Proxima. cælestes famuli comitantur euntem,
Millia quot superis nunquam venere choreis.
Vtque oculi valeant mortales lumina vultus
Cernere siderei, nubes, velut area Phœben,
Artus circundat; siue vt Thaumantida vestit
Sole sub aduerso pendens ex imbribus arcus.
Agnoscit faciem Præsul, pauidoque salutat
Ore DEVM; pronusque iacet, nec sustinet alta
Maiestate frui. Dominus sed mulcet amantem
Vultu hilari; ac tandem sic sacra silentia rumpit.

Nec tibi, nec patriæ solum te nostra, Sacerdos,
Cura dedit; nec cessit amor. quærenda per orbem
Tecta aliena tibi, peregrinæ & pergama gentis.
Et nequid dubium diuina oracula monstrent:
Quære Tanagræi cultissima rura Phalanti;
Quà princeps inter Calabros, & Achaidas vrbes
Vrbs ruit in præceps: namq. improba turba nepotum
Dedidicit patrum leges, ritusq. priorum,
Quos Petrus edocuit, Tyrrheni Tybridis vndas
Cum peteret, sedemq. sacram transferret in vrbem.
Rumpe moras: me redde meis: vrbs fida TARENTVM
Semper erit, veteres nunquam subitura ruinas.
Sic fatus, coelum repetit velocior Euris.
Ac velut ardenti cum quis commiscet aheno
Brumales latices; subitò subsidit in imo
Vnda tumens, vortexq. cadit, languescit & æstus;
Spumaq. per tepidos circumfluit alba liquores.
Sic Domini imperio CATALDI elanguit ardor:
Nec magis antra audet, nemorumq. optare recessus;
Sola sed Oebalij suspirat rura TARENTI.
Ac subitò vt redijt, narrat sua vota magistro;
Vrbis & ignotę cupidus monimenta requirit.
Audit visa senex; hilarisq. ad nuncia coeli:
Vrbs, ait, vrbs felix, cui iam fabricator Olympi
Munera tanta parat: tanto quam Pręsule fulcit:
Diues opum quondam, ventura in sęcula diues
Virtutum, veriq. DEI non garrula cultrix.
Attamen vt lætere tuis iam mœnibus, Hospes,
Atque noua exultes patria, cape nomen, & ortum;
Disce decus celebris, quam tu moderabere, gentis.
Quondam etenim, patrios cum prima ætate penates
Incolerem, appellens Italus peregrinus Ioppen,
Viseret vt tumulum Domini, mihi rettulit vltrò
Hesperię annales, veteres Heroas, & vrbes
Conspicuas: cumq. Oebaliæ monumenta referret,
Quam tibi dant patriam Superi, quæ pergama donant,

Præclara

Prçclara inseruit, quç nunc cuncta ordine pandam.
Longa retro series, si prima exordia quæras
Herculeç gentis: namq. is situs vrbis, & arcis,
Atque maris bifidi, coeli & clementia talis,
Atque soli vbertas; vt nulla ætate putandum,
Desertum mansisse locum, aut caruisse colonis.
Fundamenta Taras posuit, Neptunia proles,
(Græcia ni mendax) sed nec dum condita Leuces
Tecta, Giganteis falsò celebrata sepulcris.
Nec dum Brundusi turritas viderat arces
Prisca ætas: norat forsan nec nauita portus,
Cornibus arboreis patrio quos nomine signat
Viuacis cerui caput; & mox Romula classis
Reddidit insignes, Eoo ex orbe recurrens.
Auxit Amyclęus pomœria prima Phalantus,
Et mores, legesq. dedit; veteresq. colonos
Complexus, muris cinxit melioribus vrbem.
Prælia quid memorem, partosq. ex hoste triumphos,
Magnanimosq. duces? nouit Messapus, & armis
Vrbis Alexandri virtus sociata Molossi.
Dardana gens vinci potuit; classisq. subactæ
Relliquias sua vix suscepit in ostia Tybris.
Naufragus hinc Pyrrhus, Latios augere tumultus
Italiam veniens, Leuini consulis agmen
Ad Lirim superat; Lacedæmoniumq. TARENTVM
Bis senis Aquilis, captiuisq. hostibus ornat:
Hos tamen, vt pariter vincat virtute Quirites,
Restituit patriæ, pretij contemptor, & auri.
Castra iterum auspicijs sequitur fortuna secundis
Herculea; & validas Decij, socijq. cateruas
Marmarici sternunt barrhi: gemit Ascula pubes;
Martigenæq. iterum cecidere sub hoste phalanges.
Sed quia Romanas Victoria legerat arces;
Edomuit Curius prolem armipotentis Achillis,
Vltus auos: vinciq. fuit non turpe Tarento,
Sed pugnasse decus, geminoq. hæsisse triumpho.
Annibal

Annibal hanc vrbem, simulato nomine morbi,
Fraude capit: captam cunctator Maximus armis
Extorquet: subit illa volens Latiale trophæum,
Et vacua immissis cumulat Capitolia prædis;
Vt vafros fugiat Pœnos, Tyriosq. bilingues.
Heroum fœcunda parens, nutrixq. perennis
Ingenij; vt pariter belli mereatur honores,
Et pacis, simul & Bellonæ, & Palladis artes
Obtineat, dupliciq. ornet sua pignora cultu:
Floruit hic Rhinton tragica, viguitq. palæstra
Iccus, Acidaliæ Veneris sæuissimus hostis:
Ne flueret constans lasciua per ocia robur.
Ennius hinc genitus cecinit fera prælia vates:
Scipiadasq. duces, melius quàm classica Martis,
Impulit ad pugnam: primusq. eduxit in arma
Bellerophontæas Latiali carmine nymphas.
Hinc & Nicomachus bello, mensisq. disertus,
Mox Heraclides oritur, quos Cynthius ornat
Arte pari, ingenio simili: sed ludit inermis
Inter conuiuas alter, sua carmina fundit
Hostibus in medijs alter, geminoque triumphat
Munere; quosq. armis superat, mox pectine mulcet.
Hinc ad iura Lysis, satus hinc ad pharmaca Zeusis,
Inuictusque Dinon maiora ad prælia ductor,
Et Strato mox cithara, & lingua bene notus Alexis;
Et genus hinc traxit dubium longæua Sacerdos
Delphica: Nicocles hac & tibicen in vrbe
Claruit: atque ipsi Phœbo vix Eumenus impar,
Carmine si Phœbus certet, fidibusque canoris.
Sexcentos taceo: satis est pro millibus vnus
Archytas: cuius nec machina nota columbæ,
Nec fecere adeo celebrem crepitacula famam,
Vt mores animi, mens & bene conscia veri,
Ingenium viuax, & cognita sidera mundi.
Quis tibi iam referat, quanta hic clementia cæli;
Quot pisces pariat pelagus, quot gramina tellus?

Ver

Ver longum, brumæ tepidæ, tolerabilis æſtas,
Quam mites Zephyri perflant, auræque ſalubres,
Hìc ſibi ſuccedunt: grauidis hìc obrutus vuis
Autumnus nulli cedit ſua dona Lyæo.
Has oras, hæc regna tibi cæleſtia tradunt
Decreta; vt molles inter tot commoda ciues
Ad durum virtutis iter, pater optime, ducas.
Hæc monumenta ſenex rerum narrabat Iberno;
Qui memor hoſpitij grates de more rependit,
Ac tandem ſacra antra hilaris, ſyluaſque relinquens,
Littora Phœnicum properat contingere curſu:
Ac ſubitò æratam puppim conſcendit, vt illam
Senſit ad Italiam Tyrias tranſmittere merces.
Vix è conſpectu Syriæ telluris ab Euro
In pelagus deducta ratis: vix littora ponto
Subſidunt: toto pendent vix carbasa malo:
Cum ſubitò, non dum veteres oblita ruinas,
Alecto lugubre caput crinalibus hydris
Concutit, atque iecur tumidos accendit in æſtus.
Qualis vbi inſanas, contorto verbere caudæ,
Getulus, Libycus ve leo deſæuit in iras;
Infremit horrendum, arrectis & crinibus aſtat;
Exacuitque vngues, aptatque ad vulnera dentes:
Et quoſcunque videt propius concurrere telis,
Hos petit, & medios fertur moriturus in hoſtes.
Illa igitur ſecum voluens quò tendat Ibernus,
Quid ſtruat, & quantas, reſerato limine cæli,
Conetur flammis Stygijs auertere prædas;
Hæc rabido ſquallore tonat. Sic vincimus ergo?
Has ferimus Diti exuuias? hæc ſigna, fugatis
Hoſtibus, Eumenides deluſa ad Tartara mittunt?
Scilicet hic, pelago vectus, regnata Phalanto
Mœnia ſubijciet lethi contemptor, & Orci?
Et gentes luxu madidas, longa ocia vitæ
Carpentes, auido diuellet ab ore Trifaucis?
Nec ſatis eſt, animas, quotquot glacialis Iberne

Nutrit, ab infernis heu ſubduxiſſe lacunis?
Et noſtris auctum ſpolijs è carceris vmbra
Ad mitræ tranſiſſe decus; riſiſſe furentum
Exitiale odium, ſuſpectaq. tela Tonanti?
Quò nunc progreditur? quò nunc ſe proripit hoſtis?
Nunc aliud molitur opus; nunc altera tentat
Prælia; nunc Furias audaci fronte laceſsit.
Imbellisne vno potuit Diſcordia pomo
Tam dirum reperire nefas, bellisq. cruentis
Europæ, atque Aſię lætas confundere ſortes?
Illa ego Tartareas inter primæua ſorores,
Illa Erebi princeps Alecto, illa horror Auerni
Opprimere imbellem nequeo, aut differre ruinas,
Quas timeo? & potui toties è limine cæli
Exturbare animas, cumulare & Tartara prædis.
Non talem nuper rapidi Phlegetontis ad vndas
Me fore promiſi: nec de me tale merentur
Obſequium Manes. quid nunc? ſuperata reuertar
Ad Stygias latebras? Subeunda pericula rurſum;
Atque anceps iterum tentanda eſt alea Martis.
Iam non inſidias ſtruimus; nec ludere ſomnos
Tentamus regum: pelagus dabit agmen apertum:
Et glacialis hyems, necnon concordia diſcors
Nimborum propius fluitantia vela laceſſet
Hoſtis inoffenſi. an poterit per cœrula vectus
Aeoliam penetrare domum, Zephyrisq. ſolutis,
Nectere fulmineos indigna compede ventos?
Et cæli, pelagiq. minas ratis improba vincet?
Auxiliumne feret pereunti numen Olympi?
Et ferat. obſiſtam; multoq. ferocius Euros
Impellam. ſi non pereat ſubducta procellis,
Saltem aliò deflectet iter ſemiobruta puppis.
Haud vinci omnino eſt, victricia caſtra morari.
Hęc vbi dicta dedit, conuenit in aere fratres,
Qui cecidere polo, furialia ſigna ſecuti
Cum reliquis, quos ſtagna premunt Acherontis, & ignes
Vltores

Vltores Erebi : medio ſed tramite caſus
Continuere gradum, & Stygis euaſere lacunas.
An quòd, vt in biuijs, dubio veſtigia greſſu
Preſſerunt; Dominumq. ſimul, Satanæq. furores
Vel voluere ſequi, finem vel cernere belli
Motibus ambiguis, tandemq. vrgere cadentem;
Suſpenſiq. luunt, cęca inter nubila, mentis
Ancipitis lethale nefas, caligine merſi
Aeterna; ſecumq. ferunt monumenta ruinę?
An quòd peccarunt leuius, nec vincula Ditis
Emeruere pati: ſed cum defecerit Orbis,
His quoque Tartareis nectentur colla catenis?
An quòd nobiſcum paſſim fera prælia miſcent,
Accumulantq. decus victori, animosq. coercent
Degeneres ſtimulis? Conſtat tamen eſſe proteruos,
Et ventos excire truces, tumidiſq. procellis
Exagitare fretum, nubesq. accendere flammis.
Eumenis his igitur ſic obſtrepit ore triſulco.
Cernitis, vt noſtri pereant conſortia regni?
Vt Ditis deſerta domus, Stygijq. receſſus
Nequidquam exuuias damnatæ plebis anhelent?
Vt mortale genus noſtro ſuccedat Olympo,
Sidereasq. habitet, quas nos amiſimus, arces?
Quid moror? ecce ratis, tumidum quæ vectat Ibernum,
Rapturum noſtras alieno ex littore prædas.
Hinc oritur miſeranda lues, hinc peſtis Auerni.
Quid potui? nihil arma nocent, nihil officit aſtus.
Quin magis aduerſo conſurgit pondere: qualis
Victrix palma, leues cum ſeſe attollit in auras,
Atque onus exuperat, medijsq. in nubibus abdit.
Afflixi? gaudet. deuinxi compede? regnat.
Extinxi? viuit. volui ſuperare? triumphat.
Prima ſatis fuerat clades: geminata reſurgunt
Prælia: maiorum redeunt exordia rerum.
Interea tam grande nefas, tam proxima Diti
Exitia; heu, placidis animis vos ferre poteſtis,

Et

Et Zephyris aperire viam, quibus ocyor hostis
Nauiget, & citius prædis oneretur Auerni?
Eia agite; exercete faces, quas nuper ab igne
Tartareo eripui, vestrasq. excite fauillas:
Mandite vipereos crines, haurite venenum
Exitiale meum, veteresq. resumite vires.
Nec soli conferte manus: vestra agmina venti
Præcedant; Aegisq. Iouis descendat in æquor.
Bella gerat Boreas, & inexorabilis Auster:
Fulgura fulminibus coeant, nimbiq. procellis:
Turbatumq. fretum funesta sit area Martis.
Perdere non orbem cupio; sed Ibernicus iste
Dum pereat, reliqui tranquilla pace fruantur.
  Sic fatur, rabidoq. magis succenditur æstu:
Impatiensq. moræ Stygios ad prælia fratres
Armat, & vltores ex æthere congregat ignes.
Talia dum furtim peragit furialis Erinnys,
Fluctibus in medijs præsul præsentit Ibernus;
Et tacitus secum ventura pericula voluit.
Mox placidè hortatur nautas, puppisq. Magistrum,
Vt teneant portum, vel cautius æquora verrant;
Ventorumq. minas retegit, motusq. propinquos.
Dicta gubernator spernit, cæloq. sereno
Plus nimio fretus, tacito sic murmurat ore.
  Ergo Sacerdotum leges, & iussa sequemur
In pelago audaces nautæ? custosq. sacelli
Iura dabit ventis, tempestatesq. futuras
Prædicet, cursusq. meos præuertet, & ausus?
Non ego delphines vidi resilire per vndas;
Littora nec fulices, scopulos nec prensat echinus:
Nec tristes Hyadas fraterna cæde notaui:
Nec rubet instabilis Phœbe: nec aquosus Orion
Occidui repetit circumflua littora ponti.
Hic ergo vnde hyemis præsagia cæca futuræ,
Fulgaraq. & nimbos timidus præsentit, & haurit?
  Vix ea fatus erat; grauidam cum Dæmones imbre
In

In nautas armant vtroque à cardine nubem.
Eripit illa diem: motiq. potentius Austri
Vndique perturbant imis de sedibus æquor.
Iam tonitru coelum omne fremit; iamq. ignibus æther
Ardet, & in pelagus temeraria fulmina vibrat.
Aspera crescit hyems: rector mandata ministris
Diuidit; at frustra. quis enim sentire magistri
Imperia, aut quæ vox pelagi superare tumultus
Audeat? ast vltro pauida formidine docti,
Atque vsu, exonerant vndis lethalibus alnum:
Altaq. demittunt antenna cornua, & Euris
Naufraga vela negant: tamen arte potentior vnda est,
Atque vndis imbres, atque imbribus ætheris horror:
Regnat vbique lues, & plurima mortis imago.
Iamq. inter nubes pendet prope sidera puppis;
Iam velut inferno spectat de gurgite coelum:
Sic cadit in valles, sic æquore mergitur æquor.
Ecce autem iuuenis, dum carbasa colligit alta
Parte ratis, qua celsa ligant carchesia funes,
Decidit infelix, nimbis Borealibus actus
In præceps, Erebiq. dolis: perq. aera longis
Suspensus spatijs, non euitabile mortis
Ipsæ suæ metitur iter: tabulataq. tandem
Corporea mole exagitans, vitalibus auris
Orbatur. gemuit sub pondere cymba cadentis.
Mors rapit hunc, raptumq. capit mox altera puppis,
Per Stygios vectura lacus. vixq. ille ruinam
Sensit: Cocyto similis namque ætheris horror;
Nec tenebræ coeli, quàm Tartara nigra, minores.
Iam laceros artus, & vulnera sæua videres
In totam diffusa cutem; mistumq. cerebro
Naribus effundi per liuida membra cruorem.
Hunc igitur postquam socij videre cadentem,
Et subitam sensere necem, ruptosq. rudentes,
Et lacerata feris fluitantia vela procellis;
Damna sibi peiora timent; pelagiq. furores

Exhorrent grauius, quàm quas gemuere ruinas.
Tinguntur pallore genę: præcordia luctu
Mœrent: & lacrymis rorantia lumina manant:
Spemq. omnem timor exagitat: comes ipsa timoris
Desperata salus extrema pericula monstrat;
Pectore & è toto viuacia robora pellit.
Quid faciant miseri tanto in discrimine rerum?
Rectorem inspiciunt: sed pallidus ipse magister,
Quòd nil per se molitur, nihil imperat, auget
Aerumnas; grauiore premens formidine nautas.
Inter tot luctus, totque inter funera solus
Impauidus Præsul pelagus contemnit, & Euros;
Vel quòd dulce mori; vel quòd furialia temnit
Robora, qui toties Stygios superauerat ausus.
Hunc dum respiciunt nautæ, memorantq. vicissim,
Quæ nuper tanti dederit præsagia casus;
Et vatem credunt, & qui fera murmura possit
Sedare, Aeolio fręnare & carcere ventos:
Ingeminantq. preces, lacrymisq. rigantibus ora
Exclamant: Miserere, pater, miserere ruentum:
Et quam ventorum rabiem, nullo indice, nuper
Sensisti, iam fronte hilari, vultuq. sereno
Comprime: nec perdat maris implacabilis æstus
Nauigium, quod tam venerabilis hospes honorat.
Multiplici forsan turpati crimine nautæ
Naufragium meruere pati: sed feruet iniquos
Iam socialis amor iusti; vicinaq. virtus
Protegat immeritos, vt se defendat ab Euris;
Nec ferat indignas alieno è crimine pœnas.
Nobiscum moriere, pater, tumulatus in vndis?
Nos tecum tueare magis: vereatur & hostes
Mactare Omnipotens, pariter ne perdat amantem:
Aonia vt laurus vibrato à fulmine fontes
Fronde tegit, coeliq. potest cohibere furores.
Hæc illi: At Præsul tendens ad sidera palmas,
Hæc sacro sermone tonat. Sanctissime rerum
Arbiter,

Arbiter, heu Furijs in tota elementa poteſtas
Tanta datur? permiſſa tuis ſunt hoſtibus orbis
Imperia, vt poſſint etiam contendere coelo?
Sæuitum ſatis eſt: nimium fera Tartara tecum
Conſeruere manus. fruſtra tamen omnia tentant.
Nam quis te contra inſurgat? quis robore tecum
Certet, qui nutu reparas, & deſtruis orbem?
Iam ventis da iura Pater, qui condis & Arcton,
Nimboſasq. creas Hyadas: iam comprime ſæuam
Eumenidum rabiem, tempeſtatumq. furores;
Imperiumq. tuum mundi moderetur habenas.
Vel tua ſi tantos pariunt decreta tumultus;
Parce alijs; me trade mari. crudelis Enyo
Me petit; & per me reliquis capitale minatur
Exitium. aut igitur per me tua deſinat ira;
Aut in me ſolum deſæuiat agmen Auerni.
  Talia dum ſupplex loquitur (mirabile viſu)
Conſternit fluctus pelagi, coelumq. ſerenat.
Alecto Phlegetonta petit, Stygijsq. cauernis
Abditur; atque Euri, trepida formidine pulſi
Nubibus è medijs, cæcis conduntur in antris.
Ereptamq. ratem Zephyri leuis aura ſecundat.
Certatim nautæ læto clamore ſalutant
CATALDVM, cuius metuunt fera Tartara nomen;
Cui nimbi, Boreęq. minax audacia cedit.
Vltimus accurrens celſa de puppe Magiſter,
Prenſat vtrumque genu ſupplex renuentis Iberni.
Atque infit: Tacitus nuper tua verba, Sacerdos,
Cenſor deluſi; nunc te manifeſtus adoro
Laudator; ſceleriſq. mei non improbus vltor.
Quis tamen occultas humili ſub pectore noſſet
Diuinæ virtutis opes? quis crederet æquor,
Præter naturę pręeuntia ſigna, repenti
Motu exturbandum? ſed nunc ſat nouimus omnes
Quid valeas. ſerò ſapimus; ſed præuius error
Nil nocuit nobis; ſeruas namque ipſe carinam,

 Perdere

Perdere quam potuit rector, ventosq. coerces.
Quid nunc? exhaustum est robur? sine robore virtus
Languet? nil iam sperandum? nil proderis vltra?
An maius moliris opus, maioraq. versas.
Pondera? iam teneo: nec spes me viuida fallit.
Aeternis igitur iuuenis reuocetur ab vmbris:
Obsequijq. vices habeat, qui promptius æquo
Pugnabat ventis, vt nos seruaret ab vndis.
Vnus abest: vnus non dum communia sentit
Gaudia: flecte oculos, miseras aduerte ruinas:
Et quem tristis hyems rapuit, clementia coeli
Restituat, penitusq. adimat vestigia luctus.
Dixerat. ille gemens manibus deforme cadauer
Pertractat; lacerosq. artus componit; & oris
Stillantem saniem lacrymis detergit amaris.
Mox, prece præmissa: Iuuenis surge, inquit. at ille
Exurgit, viuumq. capit per membra colorem.
Ast animus dubio præfert sua gaudia vultu:
Nec se credit adhuc Stygiam fugisse mephitim,
Tartareosq. lacus, & non remeabile flumen.
Post, vbi paulatim decerpsit munera sensus,
Et vitæ gustauit opes; prostratus adorat
CATALDVM, prensatq. pedes; licet ille repellat
Obsequium; & tandem, lacrymis labentibus vltro,
Visa refert socijs; timidoq. ita pectore fatur.
Heu quæ damna manent miseros post funera! quale
Supplicium! quantas spirantes sulphura flammas;
Quot mortis simulacra vident; quæ monstra; quot vmbras
Horrificas sontes animæ! vox deficit; hæret
Gutture lingua suo: tantas mens ægra ruinas
Horret concipere, & prima sub imagine nutat.
Vidi ego Tartareas flammis ardere lacunas
Aeternis, interq. gelu exudare vapores
Aetnæos; tristesq. animas, nullo ordine fusas
Per mortale chaos, diris cruciatibus angi.
Hos vidi rapidis exuri membra fauillis:

Et semel

Et semel extinctos iterumq., iterumq. reuerti
Ad sensus, solitasq. pati sine fœdere pœnas:
Hos glacie mersos tantum obriguisse sub vndis,
Marmoris vt rigidi formam, lapidisue referrent;
Ni gemitu, lacrymisq. darent signa horrida vitę;
Ac raptim euulsos manibus, sæuoq. tridenti
Tortorum; in medias iactari è frigore flammas,
Atque iterum accensos ad frigora prima reuerti.
Quis tormentorum sensus! mensura doloris
Quanta est! quę vis pœnarum! tepet Ister, & Hebrus
Hybernis niuibus, glaciem si tangis Auerni;
Et superat totos Orci fax vna Veseuos.
Heu quis sustineat tortorum cernere vultus,
Sæuaq. deformes variantia membra figuras?
Si quis componat feralia monstra barathri
Nostris portentis; formoso corpore credat
Sphingas, & Harpyjas Arabum spirare vapores;
Gorgonas egregia facie, rabidasq. chimęras;
Et cicures, quotquot rabies agit atra molossos.
Hæc auidè semper miserorum corpora vellunt
Vnguibus, & rostro; lacerataq. viscera mandunt.
At quoniam nullis epulis satiatur Auerni
Perniciosa fames; crescunt noua prandia pœnis,
Consumptasq. iterùm reparat vis æmula fibras.
Quilibet infami pręfert sua crimina vultu:
Vt fœdę, turpesq. notę sine teste pudendum
Dedecus enarrent; maiorisq. ansa doloris
Obueniat miseris; flammęq. tenacius vrant.
Has inter pestes graderer dum solus, & anceps
Quod mihi supplicium Superi, quæ damna pararent;
Improuisus adest Iuuenis: qui pectore tristi,
Attamen egregio vultu, & velatus amictu
Sidereo, gemitu mea proxima funera tristi
Flere videbatur; meque his sermonibus vltro
Alloquitur: Dilecte comes, vestigia nostra
Pressisses vtinam semper; nec deuius error

Illecebris aliò ſenſus, animumq. rebellem
Traxiſſet. dux ipſe fui, quem rector Olympi
Naſcenti dederat: nunc te ſequor inter Auerni
Sulphureas flammas; quòd adhuc ſpes parua ſalutis
Apparet; mortiſq. tuę lethale moratur
Edere decretum Dominus. ſi forte reuerti
Mox tibi contigerit, ſuperaſq. euadere ad auras,
Enarra quidquid pateris, quæcunque tueris
Has inter latebras: & ne mens cæca pererret
Fruſtra, quæ referas viuentibus ipſe docebo;
Et memorem reddam; ne tarda obliuia menti
Subrepant, & viſa Erebi portenta reuellant.
Hæc ait; & greſſus dextro de tramite flectens,
In læuam ingreditur vallem; quę ſulphura paſſim
Effundit, cœnumq. olidum, flammaſq. perennes;
Tenditur & vaſtis ſpatijs, & cingitur altis
Montibus, æthereo tangunt qui vertice coelum;
Ne ſpes vlla fugæ miſeris, nec ſemita vitæ
Reſtet, & æterno ducant ſua funera luctu.
Innumeri hinc atque hinc: quorum tormenta, luemq.
Nec mens concipiat, ne dum mortalia poſſint
Verba loqui. rurſus tum dux ſic ore diſerto
Incipit effari, digito monimenta reorum
Comminus oſtendens, & inenarrabile damnum.
Qui dorſo, iuguloq. tenus Rex horridus ardet
Ignibus in medijs, coeloq. minatur, & imo
Pectore purpureos latices, quaſi fonte perenni,
Euomit; eſt Pharao infelix, qui credidit vltro
Se pelagi inſidijs; & nunc incendia nutrit
Gurgite, quem moriens Erythræo ex æquore ſorpſit.
Alter, qui præceps proprium decumbit in enſem,
Dux fuit Hebræus, Superis dilectus, & infans
Simplicitate animi quondam: mox percitus œſtro
Inuidiæ, inſontes perimit; iuuenemq. gigantum
Interfectorem exagitat: nunc actus in iras
Maiores, ſcelerum pariter ſibi teſtis & vltor,

Se necat; atque iterum lethali ex vulnere furgens
Promptior, heu rurfus furialibus irruit armis;
Seq. renafcentem fæuo mucrone trucidat.
Afpicis, vt profugus trepida ceruice Cainus
Excrucietur, adhuc Furijs vltricibus actus,
Cunctaq. fuftineat paffim tormenta Gehennæ?
Stare loco nefcit; fugit hinc, fugit inde viciffim;
Obuia quæq. timet, ftrepitu & pallefcit inani;
Dumq. petit latebras, confoffus pectora telis
Sternitur, atque animam tetro cum fanguine fundit:
Nec moritur; quoniam vitalia robora pœnis
Non cedunt. fed nec flammas, nec fæua Megæræ
Verbera, nec morfus adeo timet ille ferarum;
Sanguinis vt vocem fraterno ex vulnere, coelum
Quæ penetrat, flagrisq. DEVM grauioribus armat.
Quos ructat, forbetq. reos cæca illa vorago,
Pumicibus fimiles, quos euomit Aetna Typhois,
Egregij proceres fuerant: fed liuor acerbus
Infecit miferos; quorum grauiora meretur
Supplicia infanus, qui tot peruertit, Abiron.
Afpicis Antiochum, qui iam delubra Tonantis
Sacrilegus penetrans, gemmis fpoliauit, & auro?
Hunc Reges timuere pares; huic paruit Orbis;
Nunc importuno luget fua crimina fletu,
Dum turpi cœno obruitur, dum vifcera vermes
Regia parturiunt. famuli fugere mephitim
Exofam: vix ipfe obductis naribus atrox
Suftinet infandum funeftę tabis odorem.
Affidet Antiochi tumulo non proximus annis
Herodes, fimilesq. luit fine tempore pœnas:
Imbelles quoniam diuellit ab vbere matrum
Infantes, necuitq. ferùm; multosq. peremit,
Vnius vt vitam raperet: feq. ipfe trucidat
Poftremò, impatiens morbi, pertęfus & æui.
Nunc quoque Tartareo fefe transfuerberat enfe;
Atque mori cupidus mortali in vulnere viuit.

Miraris, cur tot cruciatibus ille prematur,
Qui latebras frustra deserta per inuia quærit?
Emeruit grauiora pati: fuit vrbis, & orbis
Arbiter: huic similem crudeli pectore nullum
Cernet posteritas, sed nec videre priores.
Hic præceptori lethalia balnea fundit,
Censoremq. timet; quæq. vbera suxerat infans,
Transadigit ferro, spectatq. arcana parentis
Viscera (feralis rabies) Patresq. verendos,
Qui primi docuere Fidem, cruce mactat, & ense;
Persequiturq. DEVM; transfertq. in Tybridis arces
Laomedonteæ lacrymata incendia Troiæ.
Nunc cupit infelix transactę incommoda vitę;
Lethiferamq. sitim patiens, decocta Neronis
Suspirat, flammasq. bibit, glacieq. fouetur.
Hunc prope sexcentos poteris spectare tyrannos,
Quos tormentorum illuuies prope funera ducit,
Nec perimit; sæui vt maneant sine fine dolores.
Aeneus en Siculum subiectis ignibus vrit
Bos Phalarim; miserumq. premit, flammasq. rogales
Agglomerat vindex, qui finxerat æra, Perillus.
Busyris laceratur equis: Mezentius atrox,
Quæ prius execuit, corrupta cadauera membris
Circumquaque fouet, taboq. fluentia lambit.
Hoc iacet infausto, quod pix tegit horrida, saxo
Vxor Achab: cuius præcordia sæua Megæras
Exuperant, vatum mactatrix impia quondam:
Nunc sua damna gemit; fractoq. è vertice fundit
Infelicem animam, canibus laceranda molossis.
Haud procul hinc Medea suis armata venenis
Torquetur: quam vicit amor; sed vicit amorem
Immanis rabies: tectum scelerata Creontis
Dat flammis; fratremq. prius discerpsit, & artus
Exanimes sparsit per deuia rura Tomitis.
Parceret Absyrto, quæ mox sua pignora ferro
Transfodit? (crudele nefas) sed crimine tanto

Iam dignas patitur flammis obnoxia pœnas.
Quis referat fontes animas, quas fœda lacunis
Styx limo, coenoq. premit? quas luxus adegit
In præceps, rapuitq. nocens per deuia sensus?
Sed quantum miseras demulsit blanda voluptas;
Iudicis has tantum vindex exasperat ira:
Membra volutabrum sepelit; quæ fæce Diones
Polluerant; curæq. angunt præcordia tristes,
Perq. lacus olidos serpit penetrabilis ardor.
Hic Dalidæ fraudes toto illuduntur Auerno;
Ingratamq. animam nulli tolerabilis ignis
Concremat; & nullis precibus tormenta remittunt:
Nam Diræ excutiunt lethali forcipe prunas;
Quo crines infida sacros præcidit amanti,
Et cranium miseræ bifido mucrone terebrant.
Assidet huic mendax Aegyptia: cuius amori
Successit subitò nunquam placabilis ira:
Hebræum iuuenem tentat; castumq. repertum
Opprimit, atque diu non digna compede nectit;
Illuditq. virum, sociumq. in crimine poscit:
Nunc gemit, æternumq. gemet; datque improba pœnas,
Quas meruit muliebre nefas: virque ipse proteruæ
Insultat, memoratq. dolos, atque aggerat ignes.
Cernis Abydenum picea inter stagna natantem
Læandrum? at nunquam, restincto lumine, littus
Inueniet: littus reperit sed Sestias Hero;
Dum ruit in præceps, animamq. refundit in æquor.
Proxima torquetur miseris Babylonia Thisbe;
Insequiturq. hostem, quem iam dilexit amantem:
Alter in alterius condit nam viscera ferrum;
Tartareisq. ambo spirantia membra leænis,
Vt citius pereant, frustra laceranda relinquunt:
Hinc iterum insurgunt hostes, atque arma capessunt;
Et sponsam ferit ille suam, ferit illa maritum;
Aeternasq. luunt alterno in vulnere pœnas.
Supplicium quàm longum est! quàm breuis ipsa voluptas!

Quàm

Quàm ſine fine dolor! quàm delectatio præceps!
Haud procul hinc cernas illa agmina ſæua gigantum,
Non qui bella Ioui, mendax vt Græcia finxit,
Indixere vnquam, iunxere aut Pelion Oſſæ;
Sed qui, prævalidis elati viribus, orbem
Præpoſuere polo, rationi commoda ſenſus,
Virtuti illecebras, belliquc incendia paci;
Nec qui fulmineis potuere armare ſagittis
In ſua damna DEVM: grauidis ſed nubibus, vnde
Immenſa illuuies, effuſis imbribus aucta,
Demerſit mortale genus, purgauit, & orbem.
Nunc Acherontæo tumulati in gurgite, flammas
Ore vomunt; coelumq. feris ad bella laceſſunt
Vocibus, & ſæuo deterreat murmure manes.
Inter Echionios qui mutua vulnera fratres
Ingeminant, patitur cognato ſanguine quiſquis
Inficitur; quiſquis patri violentius obſtat;
Qui patriam vendit; qui ſe, ſibi barbarus hoſtis,
Mactat; quæ demum perimit ſua pignora mater.
Heu quot mentiti veros Ixionis orbes
Illic aſpicies, ſi flexeris ora deorſum;
Et quot Siſyphios lapides, Tityique volucres,
Tantalidasq. dapes: quot Belidas vrna fatigat.
Has inter cupidos præceps vorat ignis auaros:
Et ſitit in medijs vndis, qui pauper in auro
Congeſto fuerat; gazis in millibus Irus,
Inter opes mendicus opum; qui denique vixit,
Vt prædas inhians, prædis pleno ore, moloſſus.
Vallis Tartareæ fundo voluuntur in imo
Imperia Aſſyriæ; & quotquot videre tyrannos
Vrbes Sicaniæ, Capitoli & mobile ſaxum,
Cecropiæq. arces, Pelopeiadesq. Mycenæ.
Illum, exhalantem miſtas cum ſulphure flammas
Ingentem puteum Stygij prope limia Ditis,
In tumulum legere ſibi quicunque magiſtri
Coeleſtis lacerant diuerſo dogmate lenam,

Et

Et sponsæ thalamos violato fœdere turbant;
Ac velut infames blattæ natalia rodunt
Vellera, & alueolos, quorum sub tegmine viuunt.
Hic sibi Nicoleos, luxu fœdatus inerti,
Præcinuit princeps æterni exordia luctus:
Mox reliqui, quorum dedignor nomina, cœlo
Vsque adeo inuisa, effari; vel cernere vultus.
Præcipuum tamen hoc retinent; quòd crimina pœnas
Cætera præscriptas seruant; nec tempore crescit
Perniciosa lues: ast his incendia passim
Augentur meritò, sæui & mensura doloris;
Nam sua degeneres, aliena & crimina lugent:
Tartara dum passim penetrant, qui dogmata mortis
Amplexi, miseris addunt tormenta magistris.
Quot iam prætereo? citius nam sidera coeli,
Et vernos numerem flores Sicanidos Hyblæ,
Qui diris torti cruciatibus, astra tueri
Nec poterunt vnquam, nec linquere limen Auerni.
O mens cæca hominum: tantumne indigna voluptas,
Deliciæq. breues, perituræ & gaudia vitæ
Mortales capiunt sensus; vt funera mortis
Aeternæ subeant, coeli nec gaudia curent?
Nonne Syracosiæ laudator prodigus aulæ,
Pendentem vt vidit tenui inter pocula filo
Ensem fulmineum, sceptris, trabeaq. relicta,
Spreuit delicias Regum: mensasq. perosus,
Appositasq. dapes, contentus sorte priori
Vixit, & illecebras meliori lance pependit?
Cur non expaueant homines tormenta Gehennæ,
Tartareosq. ignes? cur non odere proterui
Delicias? sine fine mori, sine fœdere flammis
Accendi, monstris lacerari, & gurgite mergi
Sulphureo, coeloq. expelli, & cernere vultus
Terrificos, Dominumq. hostem perferre perennem,
Parua putanda lues? aut est tolerabile damnum?
Hæc dum differeret custos mihi fidus, & auspex,

Inferni

Inferni fremuere canes; tremuere recessus
Tartarei; vastoq. immugijt atra boatu
Vallis; & excelso nutarunt vertice montes,
Vnde oritur miseranda lues? ecce, ecce repente
Infelix anima, æternis agitata ruinis,
Deijcitur præceps violento è turbine, qualem
Dæmona siderei cœtus videre cadentem.
Circumquaque ignes versat, piceosq. vapores;
Qui misti nimbis tonitru fera Tartara vexant,
Et crebra in Stygias iaculantur fulmina ripas,
Horrisonumq. edunt vastum per inane fragorem.
Per cliuum montis gladij, bibulæq. secures
Excipiunt miserum; lacerant fera monstra deorsum;
Discerpunt manes, & viscera tetra volucres
Mandunt, & reuomunt; vt sic queat ille renasci,
Atque iterum subeat pœnas, iteretq. ruinas.
Accessit propius custos, toruumq. tuentem,
Atque execrantem diris sacra numina coeli,
Vocibus his vltrò compellat: Pessime Iuda,
Sic numen placas offensum? fletibus istis
Præteritum luges crimen? sic vulnera curas?
Qui socius fueras Domini, iam perfidus hostis
Appares: poteras qui pandere limen Olympi,
Infernos aditus penetras: grauiora mereris
Supplicia: & lenior pœna est, quàm pondera culpæ.
Heu pretio vendis terræ, coeliq. potentem?
Venalisne DEVS? sed sit, tu seruus, & impar
Ius mangonis habes? habeas: qui sanguine sacro
Te redimit, dignus tibi vix centusse videtur?
Sit tamen vsque adeo vilis: cur venditur hosti,
Vt pereat? vendas hosti: cur fingis amantem?
Proditor his verbis maiori excanduit ira,
Infremuitq. magis: tantosq. exarsit in æstus,
Vinceret vt Stygias immani ardore fauillas;
Et fugiens, iterum violento turbine sursum
Tollitur infelix; vt mox grauiore ruina

Decidat, atque auidis reparet conuiuia monstris.
Hinc me deduxit Custos, quà flumina currunt
Ignea, plena odijs Superum, foedata venenis
Culparum; vis vnde mali, atque incendia surgunt.
Hinc exaudiri gemitus, & crebra furentum
Verbera tortorum: tantęq. ad vulnera voces,
Obtundi vt credas vesano murmure coelum.
Pons erat, extremo connectens margine ripas;
Vnde ruunt homines ad guttura sæua barathri.
Transitus hic, mortis portendit mille figuras:
Lubrica namque via est, crebrisq. obiecta ruinis:
Præruptæq. trabes geminæ vestigia plantæ
Vix capiunt, clauisq. rigent tabulata supernè.
Hic me deseruit Custos; artesq. reuerti
Visus ad æthereas, tortoribus addidit ausus.
Quid faciam? cogor rapidum transmittere flumen,
Tartareumq. vadum certis tentare periclis.
Tristis inaccessas violento tramite ripas
Ingredior; metuensq. meis incendia membris,
Transfigor plantas, primòq. ex vulnere tractus
Ad grauiora cado: nam non datur inde reuerti:
Et sic stare, nefas; & non tolerabile, mortis
Vlterius tentare viam. cruor vndique manat,
Inq. recens vulnus desit locus: omnia languent
Robora. deficio tandem; vixq. vltima pendens
Tigna manu teneo, iamiam casurus in ignes.
Prædam tortores inhiant; suoq. tridenti
Conantur tabulis diuellere pensile corpus.
Ecce autem ancipiti donec, tantaq. premebar
Eluuione mali; rursus mihi comminus auspex
Apparet, minuitq. metum, lenitq. dolorem,
Fronte hilaris, fortisq. manu, venerabilis ore:
Dæmonas ore fugat; mea pectora fronte serenat;
Præcipitemq. manu tollit; similisq. volanti
In tuta statione locat; riuosq. cruoris
Exiccans, valido curat medicamine plagas.

Atque

Atque ait. O felix iuuenis, cui munera vitæ
Dempta semel, rursum precibus redduntur Iberni,
Qui prius edixit ventura pericula nautis.
Hoc & sperabam dudum: spes vna salutis
Hæc erat. optatos ex vbere semine fructus
Iam metimus; quoniam quidquid petit, accipit Heros.
Vade age, rumpe moras; coelumq. reuise, quod optas;
Et mores moderare tuos; culpasq. sequentes
Euita; ne te rursus cruciatibus istis
Inferat ira DEI per non reparabile funus.
Hæc ait; & mecum leuibus petit æthera pennis;
Restituitq. loco, quo me grauis ante ruina
Deiecit; vestrisq. oculis mea gaudia prefert.
Dixerat hæc iuuenis: quibus hęc superaddidit Heros.
Vestra salus agitur, Socij, dum murmurat æquor;
Dum tristis desæuit hyems, dum funus acerbum
Hic subit, atque iterum superas euadit ad auras,
Immanesq. refert æterni carceris ignes.
Vos modo ne pigeat tam diræ incommoda sortis
Effugere, & rebus vosmet seruare secundis.
Sola Acherontæas accendit culpa fauillas;
Viuaq. mortiferis immiscet sulphura flammis:
Culpa, Erebi fera monstra parit; Stygiasq. lacunas
Euomit: inuentrix culpa est squallentis Auerni.
Crimina si tollas, pereunt incendia; langnet
Tortorum scelerata manus: subitæq. ruinæ
Eumenidum thalamos, & cæca palatia Ditis
Inuoluunt; & nulla Erebi vestigia restant.
Eia igitur vestræ lethalia vulnera mentis
Curate; & scelerum maculas, sordesq. latentes
Abluite; atque vias omnes præcludite lethi.
Quem latices tetigere sacri, qui iura Tonantis
Edidicit, promat sua crimina voce gementi
Ante DEVM: reliqui portenta antiqua Deorum
Exagitent, & se reluant lustralibus vndis.
Hæc ille. at nautæ, dum flat placidissimus Eurus,

Præsulis

Præſulis ante pedes vel dira venena ſeorſum
Per gemitus, lacrymaſq. vomunt: vel dogmata legis
Edocti, ſacris demergunt crimina lymphis;
Vt poſſint Domino, voto meliore, renaſci.
Has capis, Alecto, poſt tanta incommoda, palmas:
Sic hominem ſuperas, modo quem certamine primo
Te fore victuram ſperaſti: ah robora tandem
Diſce viri; & toties ſuperata in Tartara præceps
Aufugito, extremam ne dent noua prælia cladem.
  Interea Oebaliæ medijs è fluctibus arces
Apparent, lætuſq. è celſa puppe Magiſter
Exclamat: Turrita vides iam mœnia, Præſul,
Aucta Phalantæis manibus, fundata Tarantis
Auſpicio: hunc fama eſt Neptuni è ſanguine cretum
Has tenuiſſe plagas: quod nota nomiſmata monſtrant
Vrbis: quæ iuuenem ſinuoſa per æquora vectum
Delphini tergo excudit, validoq. tridente
Armat; vt æquorei referat monumenta parentis.
Addidit immanis curuantem brachia Pyrrhus
Scorpion, & veteri decorauit ſtemmate chelas.
Ire ſed vlterius prohibet me ſæuus ab axe
Exurgens Boreas, portuſq. intrare propinquos.
Obiecta tellure tamen deludere nitar
Creſcentes fluctus; ſenſimq. auertar ab vndis.
Sic fatus, relegit ſinuoſi littoris oram.
Iamque propinquabat, nitidus quà labitur amnis
Inter arundineas frondes: templumq. vetuſtum,
Relligione patrum multis venerabile ſeclis,
Agnoſcit; lætoq. locum clamore ſalutat.
Ingeminant voces nautæ; paruoq. phaſelo
Egreſſi, optatam properè amplexantur arenam.
  CATALDVS pia templa petit, quæ ferrea turris
Circumquaque tegit, pateant ne ſacra prophanis,
Neue furor rapiat piraticus ædis honores.
Miratur Præſul deſerto in littore molem
Ingentem, cauſſamq. petit: cui protinus aſtat

Longæuus templi custos; vultuq. seuero,
Et sermone graui: Breuis est narratio facti,
Hospes, ait: sed non forsan spernenda. Senatus
Præses Apostolici PETRVS, cum ferret in vrbem
Romuleam nostræ sanctissima dogmata legis,
Pertęsus pelagi, vel sponte his appulit oris:
Vtque fluentis aquę vidit per littora riuos,
His sacros lauit crines, libauit & vndas,
Imposuitq. amni ventura in sęcula nomen:
Nostrates etenim Petri dixere Bibagnam
Hos patrio sermone lacus. sed maximus Heros,
Postera cum redijt stellis Aurora fugatis,
Hoc specus ingrediens, ætas quod prisca dicarat
Manibus Elysijs, precibus de more peractis,
Sacra facit, sacratq. locum melioribus aris.
Audijt hęc Pręsul, cupidoq. ita pectore fatur.
Iam tua, sancte senex, vestigia lætus adoro,
Auspicijsq. tuis insisto. Hęc littora primum
Te capiunt; hinc te patrem Tanagræa propago,
Rectoremq. legit; tetris è faucibus Orci
Cum rapis hanc vrbem, validisq. ex arcibus arces
Dæmonas, & multo defendis tempore ciues.
Iam tua vota sequor: diuini & semina verbi,
Quæ tuus inseuit labor, ærumnosaq. vitę
Sedulitas, simili non iam pietate fouebo:
Sorte tamen meliore, precor: ne deuius error
Irrepat rursum, Superosq. accendat in iras.
Hæc ait; atque alacris, puppi, pelagoq. relicto,
Atque salutatis nautis (quos ore diserto
Rursus ad inceptum vitę genus impulit; addens,
Quàm pręceps Boreas, quàm non placabilis Auster;
Quàm mare fluctiuagum; tantumq. à funere nautas
Esse procul, quantum à pelago tabulata carinę
Distarent) dixerit iter, quà semita monstrat
Læua Tarentini spumantia littora portus.
Paulum digressus, gemini vestigia callis

Detexit: dubiusq. viæ, dum passibus hæret
Ambiguis, optatq. ducem, male compta capillos
Occurrit virgo: pingues quę sola per agros
Imbellis ducebat oues; patriosq. labores,
Vt poterat mulier, paupertatemq. leuabat.
Cui Præsul: Quinam callis mihi certior, inquit,
Tendenti ad bimaris cultissima rura Tarenti?
Illa rogata silet. rursum mitissimus Heros
Poscit idem. silet illa magis; gemituq. frementi
Commonstrat, rapidaq. manu retinacula linguæ.
Vt mutam sensit, casus miseratus acerbos
Indoluit Præsul. sed ne dolor esset inanis,
Subsidium quærit miseræ; precibusq. fatigat
Coelicolum Regem, quò tanta incommoda tollat;
Præmittitq. humilis tales ad sidera voces.

Annue, cara DEI soboles, spes vnica mundi;
Cuius ad imperium surdæ patuere frequenter
Aures; ad cuius nutum rutilantia coeli
Lumina viderunt orbati lumine visus;
Cuius & ad vocem celeri vestigia gressu
Claudorum fixere pedes; maioraq. crebrò
Nomine, CHRISTE, tuo fulti miracula præstant
Mortales: iam solue, precor, fera vincula linguæ
Huic miseræ: da posse loqui: præludia nostri
Aduentus hæc virgo canat; transmittat & omen
Sortis venturæ ad populos hæc lingua propinquos.

Dixerat: & sacros sentit sub pectore motus;
Agnoscitq. DEVM tantis accedere cæptis.
Quare alacris: Iam fare, inquit, custodia parui
Fida gregis; seu crimen habes in semine patrum:
Seu tibi culpa nocet, teneris quam concipis annis.
Sic Superi voluere: DEVS sic imperat: vno
Munere suscipiant geminum tua membra fauorem.
Sic fatus tacuit. tacuit non illa; sed aures
Tunc prius hauserunt vocem; tunc lingua locuta est.
Felix hospes ades, semper mihi numen, & auspex,

Huc seu sponte venis; aliò seu forsan iturus,
Errasti in biuio: certè gratissimus error;
Quas tibi te dignas grates, quæ premia reddam?
Qui patri natam, qui me mihi munere linguæ
Restituis; paruumq. gregem pastore potiri
Commodiore facis: subeas modo tecta parentis;
Hospitijq. humilis ne dedigneris honores.
Hæc ait: & Sanctum Fellini ad mœnia ducit.
Vrbs quondam Fellinus erat propè littoris oram
Ad ternum lapidem spacioso in vertice collis,
Cuius adhuc extant veteris monumenta ruinæ.
Relliquias vrbis bellorum è turbine raptas
Proxima suscepit Manduria, fertilis agris,
Diues opum quondam, claris habitata colonis.
Nunc melior; veræ quæ Relligionis amorem
Inter finitimas præfert rutilantius vrbes:
Cuius & egregij ciues hinc Palladis artes
Exercent, hinc Martis opus: quò tempore pacis,
Et belli, pariter studijs decorentur vtrisque.
Fellinum interea felix conscendit Ibernus;
Et ciues virgo blando sermone salutat.
Obstupuere omnes; & sic affantur euntem:
Ipsa ne fida gregis custos? tu ne illa puella es,
Cui se se ostendit similem Natura nouercæ,
Quæ duplicem sensum nascenti sæua negarat?
Tu loqueris, cuius nuper sua verba nequibat
Lingua loqui, nostras auris nec carpere voces?
An ne illam tibi forma parem, sed munera sensus
Reddunt dissimilem? vel quæ te pharmaca tantis
Excussere malis? Hilaris tunc fœmina monstrat
Præuia CATALDVM; dubiaq. ita pectora plebis
Confirmat; casusq. suos his ordine pandit,
Illa ego, quæ toties miserorum corda parentum
Turbaui; vitiumq. meæ lacrymabile linguæ
Deflendum exhibui; patrio nunc reddor ouili,
Qualem conspicitis; namque hic venerabilis hospes
Largitur,

Largitur quidquid mihi culpa aliena negarat
Nascenti. ô nulli penitus concessa potestas:
Eia agite, ac mecum mea gaudia pandite ciues;
Et cuncti lætam celebremus in hospite noctem:
Talia dum virgo memorat miracula, plures
Conueniunt; quò iam sanctus diuerterat heros;
Attonitiq. astant. reliquis sed promptius instat
Lætus vterque parens, gratesq. rependit; & auget
Ornamenta viri. sed plebs delusa vetusta
Relligione, putat non illum prole parentum
Terrestri genitum; sed vel genus esse Tonantis
Phœbum; vel Phœbo, nymphaq. Coronide natum.
Sunt & qui Fidei retinentes dogmata, dicunt
Iam PETRO venisse parem. sed damnat vtrumque
Iudicium Præsul: Stygiumq. vt conterat hostem
Funditus, atque ornet ritu meliore fideles;
Nec me mater, ait, genuit de semine Diuum;
Nec mihi Diua parens: quamuis figmenta poetis
Obuia sint, quotquot fallacia numina finxit
Prisca superstitio, aut tristes Acherontis alumni.
Mortalem aspicitis mortali è sanguine cretum;
Nulla parte parem PETRO: namque ille Magistri
Exercere vices potuit, similesq. mereri
Tortores, mortisq. genus: deuicit & orbis
Imperia: atque ægros vmbra curauit inani.
Tanta emanabat sacro de corpore virtus.
Vix ego sectator minimus: sed iunxit vtrumque
Aequalis pietas, cultus par, Spiritus idem;
Subdidit atque vni Domino: qui solus Olympi
Sustinet arbitrium, solus qui condidit orbem
Verbo; & captiuum preciosa morte redemit:
Huic vni debetur honos; delubra meretur
Hic vnus: pecudum sed nec depascitur exta,
Nec tetro ignipedum taurorum sanguine viuit.
Se solum poscit: quidquid sibi redditur impar,
Respuit; atque semel montis mactatus in ara

Funerei, semper sacra hæc holocausta reposcit;
Atque suo (proh rarus amor) nos sanguine nutrit.
Si quis adhuc igitur Manes veneratur Auerni,
Lustrales subeat latices, ritusq. prophanos
Dediscat: reliqui Domino vigilantius astent.
Ni faciant; terras, coelum, pia numina testor,
Quæ me huc errantem vix noto è cardine mundi
Deducunt; grauiora ferent tormenta Gehennæ:
Munera nam coeli si contemnantur, in ignes
Tartareos se se vertunt, & dæmonas vrgent
Ad pœnas: accepta, ferunt ingentia secum
Commoda, & æternæ promittunt gaudia vitæ.
His dictis cunctos scelerum tædere priorum
Incipit: atque auidi mysteria sacra Tonantis
Addiscunt; simulacra Deum, ritusq. nefandos
Exhorrent, moresq. suos moderantur, & actus.
Vrget opus Præsul, passimq. effundit in omnes
Relligionis opes, veræ & pietatis amorem.
Nam cunctis aperit, quæ sint vestigia recti,
Quæ sit forma boni, iusti via, limes honesti,
Quæ vis excutiat luxum, quæ mulceat iras.
CHRISTVS vbique sonat: carpit sua vota perennis
VIRGO parens; pecudum nec consulit exta Sacerdos;
Sed Domino sine cæde litat, sine sanguine libat.
O plena hospitij merces, ò prodiga virtus,
Quæ tantis cumulas peregrina hæc mœnia donis.
Reddita iam Domino, totum, Felline, per æuum
Sic maneas; seruentq. tui sacra iura nepotes.
Quòd si bellorum rabies, aut tarda vetustas
Diruet hanc vrbem, aut aliò tua pignora mittet;
Tantarum sit opum Manduria nobilis hæres;
Perpetuoq. tuis viuat ditata ruinis.

FINIS LIBRI TERTII.

BONA-

BONAVENTVRAE MORONI CATALDIADOS LIBER QVARTVS.



Tertia iam rediens Phœbæa lampade terras
Sparserat alma dies, noctisq. fugauerat vmbram:
Cum pius Antistes carę non immemor vrbis,
Cui patrem, ac dominum dederant oracula cœli,
Fellino egeditur tacitus, ne pectora plebis
Perturbet. nec dum coeli conscenderat arces
Sol medias; cum celsa videt palatia, & omnem
Circumquaque oram, terra, pelagoq. patentem.
Obstupuit tantis Naturæ excellere donis
Vrbem: nam; seu se pandat clementia coeli,
Seu telluris opes, duplicis siue æquoris vnda,
Squammiferum paritura genus, conchasq. nitentes,
Flumina dum ripas, releget dum littora pontus;
Se nullam vidisse parem miratur Olympus.
Diuisum Ionio læua protenditur æquor
Ad Calabros; &, quà Neptunia pergama surgunt,
Clauditur impatiens inter duo brachia portus:
Est vbi tuta quies semper: seu sæuiat Eurus;
Seu præceps Aquilo tumidas exuscitet vndas.
Et qua parte fretum turbasset fluctibus ater
Africus; exurgunt geminæ non impare moles
Diductę spatio. quarum minor Insula nomen
Incertum retinet; priscis ast altera nautis
Phebra fuit, statio semper bene fida carinis;

Dextera pars vrbis, Boreas quam perflat, amœno
Alluitur decurua mari; quod littore paruo
Cingitur, & gremio duplici complectitur vndas.
Inter vtrumq. ſinum trabibus præfixus acutis
Pons fuerat, longo diuiſas tramite ripas
Connectens; qualem tumidus ſuper æquora quondam
Compegit Xerſes, Seſto dum iunxit Abydon.
Clauditur hoc pelago quotquot Neptunus vbique
Spargit diuitias; certis quas menſibus haurit
Piſcator: nulloq. die ſinuoſa relaxat
Retia, quin repleat captiuo piſce phaſelum.
Eminet ante omnes, aurata & fronte ſuperbit
Oebalij regina maris: quam ſæpe paguris,
Sæpe & purpureo piſcator murice fallit;
Cui nec delicias ſimiles acipenſer ab vndis
Rettulit ad menſas Regum; nec tale palato
Præſtitit obſequium Siculis galeota, minaci
Enſe ferox, quoties Scyllæo è gurgite tranſit.
Hic quamuis nigris condat ſe ſepia lymphis,
Vel fundo fiat ſimilis, mentita colorem;
Hamatis paſſim trahitur ſuper æquora fuſis,
Raptoremq. atro nequidquam ſanguine turpat.
Hic ſpeculo expreſſos, ac ſubere quærit amantes
Loligo infelix; lignumq. amplexa, latentes
Inſidias reperit; nec ſcit captiua reuerti;
Sæuit & intortis fruſtra inter vincula cirris.
Pulypus ecce dolos tendit prope littora pinnæ,
Immittens furtim lapidem, quo claudere conchas
Illa nequit; ſeroq. dolet ſe fidere cancris.
Vix tamen incœpit victor iactare triumphum,
Vix prædam rapuit; cum figitur ipſe tridenti;
Et pede multiplici fruſtra diuerberat haſtam.
Inſequitur tenui deuinctam cannabe mugil
Vxorem, ſenſim quam pertrahit æquore ſolers
Piſcator: venit ille volens, ne perdat amantem;
Proximus & puppi miſeræ blanditur, & hæret:

Dum tamen illecebras miſcet, fera fuſcina dorſum
Percutit: ille fugit paulum: redit inde, cruore
Iam madidus; nec damna timens, nec ſæua doloris
Tormenta horreſcens, iterumq. iterumq. feritur.
Sibilat interdum fruſtra furialis echidna,
Murænamq. ciet: contexto vimine naſſæ
Nam retinent miſeram: vocemq. ipſa auribus haurit
Aequoreo in fundo; curuo ſed carcere clauſa
Ac Labyrinthæis ambagibus; ardet amantem
Nequidquam: gemit illa diu, tandemq. reſorbens
Quod vomuit virus, triſtis ſepelitur in antris.
Maiores vibrat dum Sol rutilantior æſtus,
Sublimis ſpeculator adeſt; quem lignea ſedes
Suſtinet ad pontes, trabibus ſubnixa quaternis.
Piſcibus hic viſis lethalia brachia ſenſim
Pandit, nec loquitur; ne vox fuget improba prædam;
Et tacitè hortatur ſæua ad certamina nautas.
Piſcator rata ſigna notans, velocior Euro
Hinc, atque hinc cymba duplici caua retia tendit,
Captiuatq. pecus Nerei. ſpectacula narro
Digna peregrinis oculis. nauarchus ab ipſa
Puppe tonat: tantum geminat nam claua trabalis
Murmur, vt ex imo totum perterreat æquor.
At pauidos tonitru piſces aut ſparthea reſtis
Alligat, aut pelago in medio male condit arena;
Extemplo videas nudatos tegmine membra
Sexcentos pueros motas reſilire per vndas;
Atque vrinantes oneratos piſce reuerti.
Cerne, vt arundineis tendantur retia virgis;
Implicitiq. plagis piſces hinc, inde recuruis,
Fruſtra vbi tentarunt ſe ſe occultare ſub algis,
Exiliant vndis ſinuoſo verbere caudæ:
Sed retinet miſeros ſecum lethalis arundo;
Atque expirantes ſummo ſuper æquore mactat:
Ceu quis Scyllæos ſcopulos fugiturus, in antrum
Corruat, vnde fretum reuomit metuenda Charybdis.

Si liceat quandoq. mari iactare sagenam;
(Iura etenim crebrò id prohibent) quot retia pisces
Agglomerant? Rhombos videas, soleasq. latentes
Ex imo abstractas fundo, mullosq. trilibres
Purpureis squammis, barbato & vincula mento
Effugere. & vinclis sensim prope littora duci:
Quoque magis tentat retli se euellere conger,
Hoc magis intortis spiris confundere nodos.
Lumbricus filo transfigitur: esca madenti
Vellere miscetur: dumq. æquora nimbifer Eurus,
Humidus aut Auster cœnosis imbribus auget;
Anguillæ gustanda datur: capit illa tenaci
Dente dapes, capiturq. libens: curuisq. quasillis
Clauditur, & lento deperdit funere vitam.
Exiguus longo distentus tramite funis,
Distinctusq. hamis iacitur; nodusq. supremus
Subere fulcitur: dumq. allicit esca trachuros
Aut salpas, saurosq. leues; sub pondere cymba
Lætatur; raptos tot cernit ab æquore pisces.
Quis memoret verno capiat quot tempore thynnos
Piscator, tendens sinuosis retia griphis?
Insequitur delphin, miserosq. in vincula trudit;
Atque, vt decipiat reliquos, impune reuerti
Ipse potest; nutusq. audit, rechnasq. frequentat.
Sed patitur quandoq. dolos piscator, & artus
Obriguisse dolet: rigidis stant brachia neruis
Aspera: vix viuunt digiti; manus vtraque torpet.
Vnde lues? Torpedo suis armata venenis
Hamum fœdauit: mox sparthea linea ferro
Inficitur; filo læduntur denique membra:
Et dicto citius languent in corpore motus.
Immiscet quandoq. iocos echeneis, & alnum
Detinet immotam; quamuis vel saxa tridente
Excutiant nautæ, pellant vel remige puppim.
Cætera quis referat? nullas sub gurgite Tethys
Cogit delicias vtroque à cardine Mundi,

 Quas

Quas non Oebalijs passim transmittat arenis.
Plurimus hic oritur murex : quo stamina quondam
Serica fucabant, atque optima vellera ciues,
Regales trabeas, Tyriosve imitata colores.
Pectinibus patulis semper ditantur arenæ:
Vndique littoreus contorquet brachia cancer:
Mollibus atque algis passim sepelitur echinus.
Spondylus in saxis, latitant prope littora chamæ;
Vnguis odoratus musco miscetur, & herbis;
Mitilus & rigidis semper sub rupibus hæret.
Et quas deseruit moriens vaga Purpura testas,
Gambarides subeunt, alieno in limine tutæ.
Et quoties rapidus Triton maiore boatu
Obstrepit, his petitur turmalis buccina saxis.
Hic inter duras tenui sub cortice cautes
Dactylus excrescit, scopulis cedentibus vltrò;
Vitalesq. cibos inter sua marmora carpit.
Hic decrescentis metuit vix cornua Lunæ
Littoreis tellina vadis : hic arboris instar
Cæca alimenta trahunt grandes per vellera pinnæ.
Ostrea si numeres, numeres quoque sidera coeli,
Delicias Regum, regalis edulia mensæ:
Ostreaq. exuperant nigra testudine conchę;
Quarum floricomus fluitantia semina sudat
Aer, Tyndaridę retrahunt cum lumina fratres
Solis in amplexu, cumulant & frugibus annum.
Alba cadunt : at mox scabris hęrentia saxis
Nigrescunt, roremq. bibunt; crescentia captat
Piscator, spargitq. alibi, ceu rura colonus
Exercens; quò rara magis, maiora sub vndis
Incrementa habeant, vbi refluit ocyus ęquor;
Deliciasq. suas transfundant mille per vrbes.
Obuia piscosum foecundant flumina pontum:
Ceruani hinc latices, Larascę hinc fertilis humor,
Inde Galesus opes auget genialibus vndis.
Littora paulatim sinuoso è margine ripas
Attollunt:

Attollunt : tellus patulos hinc fusa per agros
Aequa iacet ; fœcunda parens, seu munera Bacchi,
Seu Cererem quęras, nitidę seu dona Mineruę :
Seu quæcunque suis calathis Pomona ministrat.
Quocunque aspicias, redolent sub floribus herbæ ;
Ridet humus ; vernantq. virentia culta ; serenus
Fulget vbique dies : auibus virgulta canoris,
Et frondes Zephyris, resonatq. Alcedone littus ;
Annus & æterni retinet vaga tempora veris.
Hæc vbi lustrauit Præsul, deuenit in vrbem ;
Præ foribusq. videt supremo in limite valli,
Quà fluit alternis diffusum motibus æquor,
Infelicem hominem : geminum cui lumen ademit
Nascenti vel culpa patrum, vel numen Olympi,
Redderet vt maius nomen venientis Iberni.
Hunc igitur tali compellat voce Sacerdos ;
Quem ciues cultum, patrius quæ sacra Senatus
Exercet ? Diuum mendacia numina fallunt,
An fouet hanc vrbem Mundi sator, atque redemptor ?
Dixerat hæc : cæcus contra : Pia iura parentum
Vix retinent seri post tempora longa nepotes.
Edidicere patres quondam præcepta Tonantis :
Sed mala posteritas, iterato crimine, rursus
Dæmonas accepit, veterum & simulacra Deorum.
Iamq. diu optamus venturo à Præsule nostram
Defendi patriam, frænari & vota iuuentæ,
Et sacra diuini repeti solennia cultus :
Pauci etenim seruant, didicit quæ prisca vetustas.
Nam fama est, crebroq. patrum sermonibus hausi,
Huc quondam venisse viros, qui dogmata CHRISTI
Inseruere vrbi, flexere & corda Senatus,
Multa & spectanti populo portenta dederunt.
Et ni forte velis aliò diuertere, pandam
Annales veterum : meminerunt plurima cæci ;
Quidquid enim Natura oculis prius abstulit, addit
Ingenio, docilesq. facit, memoresq. peracti

Temporis

Temporis; vt nostræ capiant solatia sortes.
Dicito quidquid habes (repetit CATALDVS) & horum
Pandito gesta virum verax narrator in æuum.
Namque illos memini quondam venisse Tarentum.
Quid tamen exorsi, vel quæ miracula plebi
Ediderint, nostras nondum peruenit ad aures.
Hæc ait: atque audit narrantem talia cæcum.
Sederat Antiochi septem iam PETRVS in vrbe
Tempora; Petrus inops quondam, natalibus ortus
Obscuris; Domini sed mox moderator ouilis;
Nunc coeli, vt fertur, felix regnator in aula.
Hic, MARCO sectante, ratem conscendit, iturus
In Latium, Romamq. suis recturus habenis.
Sed fera tempestas, rapidiq. potentia venti
Inceptum turbauit iter, cursumq. retorsit
In nostrum hoc pelagus. maior tunc Insula nautas
Accepit pauidos, portus quæ claudit apertos.
Egreditur PETRVS; primaq. crepidine saxi
Tergeminum coeli, terræ, pelagiq. potentem,
Composita ter voce vocat, ter pronus adorat,
Ac subito, vt fama est, digitis impressa Tonantis,
In lapidem sacri vestigia poplitis indit:
Et quæ pressa genu cesserunt saxa precantis,
Quam sumpsere semel, semper tenuere figuram;
Cælesti solidata manu. Miracula ciues
Vt videre, Fidem iam docti, & dogmata CHRISTI,
Construxere loco celeres venerabile templum,
Cuius sub sacro seruatur fornice marmor,
Poplitis & signum, quod nunc Apodonia dicunt.
Ipse gubernator, quoniam fluitantia vidit
Aequora perpetuis agitari flatibus Austri,
Ingreditur portum: quaq. arx fortissima surgit,
Extra vrbem sistit vicino in littore puppim.
Desilijt PETRVS socio comitatus in algas:
Lenta procellosi non quòd fastidia ponti
Sentiat, assuetus pelago, paribusq. periclis:

Sed quòd ferre diu nequeat pigra ocia Pastor
Impiger: & sacro Domini contendat ouili,
Errantes passim per turpia gramina luxus,
Perq. nemus Stygium, faciles concludere ciues.
Haud procul hinc puteus viuo de marmore viuas
Reddit aquas; quantas nec Sirius ardor anhelis
Exiccet radijs, pluuiæ nec tristis egestas
Imminuat: latices versat sic vena perennes.
Effigies hìc Solis erat, viduata colosso,
Quam patria erexit: tantoq. hæc marmora cultu
Seruabant ciues, simulacri vt fronte notarint
Hanc legem: Quicunque sitis, hoc Numen adora;
Mox bibe: ni facias, lethalia pocula sumes.
Huc PETRVS accedit sitiens; sed iura bibendi
Nescit, vel spernit potius: nam currit ad vndas,
Nec fundit de more preces sub imagine Solis.
Hanc venerare prius, pretiumq. exolue liquoris
Hoc vno obsequio: simplex quò proruis hospes?
Inclamat custos putei. Stetit ille; nec vltra
Attrectare vndas ausus, sic fatur amicè.
Iura vetant CHRISTI ritus seruare prophanos,
Cui soli debetur honos: nam solus in astris
Imperat, & solus mundi moderatur habenas.
Audijt hæc custos, verbisq. minacibus instat.
Hinc abeas igitur, Diuum contemptor, in Orcum:
Aut tuus iste DEVS latices tibi monstret amicos:
Namq. suas Phœbus numquam dedit hostibus vndas.
Huic PETRVS contra, iustas accensus in iras:
Vt videas, inquit, quidnam simulacra Deorum
Possint, quid valeat proles æterna Tonantis;
Aspice me, dixit: leuiterq. in Apollinis ora
Expuit; & subitò pereunt monumenta colossi.
Ceu cum discruptis iaculatur nubibus æther
Sulphureum triplici munitum cuspide fulmen,
Obuia quæque terit: grauioribus atque ruinis,
Quæ magis obsistunt, sternit, tumulatq. fauillis.

Obstupuit

Obstupuit custos, celeriq. ad mœnia gressu
Contendit: passimq. refert, quæ fecerat hospes
Ignotus; varijsq. replet rumoribus vrbem.
Namque alij magicis tribuunt miracula rhombis:
Ast hominem credunt alij maioribus auctum
Viribus, & neruis, quàm sit Thymbræus Appollo,
Si sua non potuit defendere marmora Phœbus.
Mobile sic trahitur studia in contraria vulgus.
Hoc tamen vnanimes cupiunt, portenta tueri
Comminus, atque viri præsentem cernere vultum.
Intereà procul hinc gelidis pomaria riuis
Inrigua intrarat PETRVS; quà vitreus amnis
Gramineas ripas tenui sub murmure lambit,
Seq. mari exiguo per proxima littora miscet;
Quem Ceruaricium dixerunt nomine ciues,
Nomen ab euentu retinet; nam cerua reperta est,
Atque inibi ludens pariter terrestris echinus.
Hic hominem Petrus vidit: cui compita, & vrbes
Exosæ, cui dulce nemus, syluæq. latentes;
Quò tegeret cunctis ingratæ exordia vitæ,
Aerumnasq. suas, & non tolerabile damnum.
Editus hic toto curuatus corpore; fronti,
Atque genis vtrumque genu (miserabile visu)
Iunxerat; & dorsum sic attollebat in armos,
Fingeret vt pandi deformia terga cameli.
Vti vlnis tantum poterat, quæ pondera molis
Corporeæ interdum, cubito gradiente, trahebant.
HAMASIANVS erat: tristi quem carmine luxit
Crebrò mœsta parens; felix, si longa senectus
Seruassent miseram ventura ad gaudia nati.
Hunc subitò vt vidit, sortem miseratus iniquam,
His vltro comitem compellat vocibus Heros.
Aspicis huc hominem, quàm sæuis, MARCE, procellis
Exagitetur adhuc; quàm longa morte peremptus
Tendat ad inferias, telluris inutilis vmbra,
Pondus iners, his ante diem tumulatus in aruis?

Sed

Sed Dominus meliora iubet: nam corpore toto
Integer, & donis post hæc cælestibus auctus
Hic erit; vt possit reliquos felicior annos
Degere, & infaustæ pensare incommoda sortis.
Eia age, signa humeros, decurui & corporis artus,
Fide comes; possit quò non modo sidera cæli
Cernere, sed multis callem stellantis Olympi
Pandere, præceptor populi, princepsq. Senatus.
Hic etenim (nec vana reor) sacra tempora gemmis
Ornatus, patrias Præsul moderabitur arces.
Hæc ille. at MARCVS, magni dum iussa Magistri
Exequitur properè, fido sic pectore fatur.
Erigit elisos, & dura compede vinctos
Omnipotens soluit, cæcis dat lumen ademptum,
Diligit & iustos. hoc tu modo numen adora,
Hunc agnosce DEVM, vita meliore potitus.
O veri victura fidem spectacula; claudus
Prosilit extemplo, rectosq. exurgit in armos;
Quasque potest grates deuoto pectore soluit
Accepti memor officij: mox dogmata CHRISTI
Edidicit, lauitq. nefas lustralibus vndis;
Impatiensq. moræ tandem lætissimus ibat,
Quò sua cognatæ præferret gaudia plebi,
Insereretq. alijs susceptæ legis amorem.
Sic delphine trahit thynnos piscator; & auceps
Oscine fallit aues, claudùntque ad retia prædas.
Ille etenim populi discordia pectora cernens
Ad puteum, casusq. nouos, Phœbiq. ruinas,
Auctoremq. rei discens, formidine victa,
Constitit in medijs: &, Me perpendite, dixit:
Atque humeros spectate meos: me iudice, vestros
Discordes animos, vestras componite lites.
HAMASIANVS adest: notos agnoscite vultus,
Si melior fortuna vetat cognoscere dorsum.
Erigit hos artus, qui diruit alta colossi
Marmora; quo cecidit præceps modo Solis imago,

Hic me reptantem cubitis attollit in auras;
Consolidatq. pedes; validis & viribus armat.
Quis non tantarum credat miracula rerum
Numine fulciri Superum, auxilioq. Tonantis?
Hæc ait; & dubiæ confirmat pectora plebis.
Cuncti ardent spectare virum; certantq. vicissim
Ad Ceruaricij notos præcurrere campos.
Ille autem, populi studium qui viderat absens,
Appellans vltro comitem: Quid, MARCE, moramur?
Inquit, iam properant optatę tempora messis;
Et gens ad veros deducitur aduena cultus.
Sic plebi occurrunt, verbisq. potentibus aures
Alliciunt, animosq. mouent: ac denique monstrant,
Quàm sit turpe Deos venerari, ac spernere numen
Aeternum, solo nutu quod temperat orbem;
Cuius ad imperium formidant Tartara, Phœbus
Obruitur tenebris, cursumq. retorquet Olympus.
Nec mora, promittunt ciues simulacra Deorum
Exturbare tholis, ritusq. abolere prophanos.
Tunc PETRVS accessit, quà proxima templa, vetustæ
Relligionis honos, exciso in marmore pendent
Ante fores vrbis, quas cardine cernit Eoo
Sol veniens; niueaq. indutus veste peregit
Sacra DEO; precibusq. pijs de more solutis,
Ad lymphas properat, rauco quæ murmure manant
Haud procul hinc; sacro perfudit & imbre volentes,
Turpiaq. exactæ deleuit crimina vitæ.
Sed quia Dardaniæ PETRVS sua funera Romæ
Debebat, nauem rursus conscendit, iturus
In Tybrim: comitemq. sibi sufficit; vt hostes
Infestos Fidei tota depelleret vrbe;
Atque reluctantis superaret corda Senatus.
Accidit interea dirum, ac mirabile monstrum:
Principis EVCHADII natam sæuissimus angit
Dæmon, nec modicam patitur sentire quietem.
Illa dolet; gemituq. patrem, lacrymisq. fatigat;
Ac

Ac tales simulat mentito murmure questus.
Ante diem quid, MARCE, furis? quid conteris vltro
Hanc miseram? quid me flammis lethalibus vrges?
Si natam odisti, vidui miserere parentis,
Vnica cui viuo, cui nec spes altera prolis.
Auxiliumq. feres, si protinus, vrbe relicta,
Contendas aliò, quò te vocat improbus ardor
Vnigenæ; qui se necuit, perimitq. sequentes,
Vendicat atque sibi veterum delubra Deorum,
Maius & ætherei deposcit culmen olympi:
Qui moriens, telluris inops vix repperit vrnam
Alterius tandem, vix & miserabile bustum,
Sanguine quo posset madidum tumulare cadauer.
Increpat hunc præsens MARCVS, mendacia veris
Exagitans, retegensq. dolos. timet impius hostis
Verba viri: fugiensq. minas, ad nota recurrit
Tartara, & insontis dimittit membra puellæ.
Obstupet EVCHADIVS facti nouitate: viriq.
Miratur vires, & ficti numinis artes
Agnoscit, veriq. DEI vestigia cernit;
Et leges, ritusq. probat; lustralis & vndæ
Dona capit, firmatq. Fidem: mox ordo Senatus,
Atque Phalantæi proceres, exempla secuti
Principis, infernos templorum è limine manes
Exturbant, decorantq. vrbis vexilla trophæis
Victoris CHRISTI: passimq. insignia fulgent
Intemerata Crucis, patrias quæ protegat arces.
Inter tot ciues dignus, qui thura ministret,
Qui præstet reliquis, Domino qui comminus astet,
HAMASIANVS adest: cui, non renuente Senatu,
Ornauit MARCVS sacris sacra tempora vittis.
Assensere omnes. sic præstat in vrbe Sacerdos,
Qui modo nullus erat, miseræ nisi fortis imago.
Hæc vbi composuit MARCVS; quòd gentibus esset
Insinuanda Fides reliquis, & certa salutis
Semita; ne cupidæ turbaret gaudia plebis;

Imperat acciri cunctos: sacrisq. peractis,
Euchadio hæc, populoq. refert; præcordia pandens
Plena DEO, & mœstis solatia grata relinquens.
Me vocat Aegyptus. me diuitis incola regni,
Quà crescit Memphis, quà labitur aduena Nilus.
Quid PETRVM nisi Roma trahat? sit principe princeps
Digna suo, & noster Præsul caput orbis honoret.
Illic piscator dispenset sceptra, coronas
Diuidat imperij; videat Regesq., iacentes
Ante pedes, sacris mille oscula figere plantis.
Quò modo & ipse sequar præeuntem; pandat vt Heros,
Quæ remanent scribenda mihi: mox tramite recto
Vrbis Alexandri Pharias transmittar ad oras.
At quibus auspicijs crescent tibi sacra, TARENTVM;
Quisve pater patriæ? quo tandem Præsule viues
Tartareis inuicta dolis immota procellis?
Quem legis Omnipotens? Procul hinc, Tanagræa propago,
Vestra salus oritur: veniet, qui protegat hospes
Has sine fine domos; viuax dum Solis anheli
Flamma rotet; dum Luna suos succedat in orbes.
Cætera ne referam, prohibet DEVS. hospitis vmbra
Hæc sit: vos vno cognoscite ab vngue leonem.
Nec plura effatus, misera decessit ab vrbe.
Plebs immota diu leges seruauit, & auxit,
Quas sanxere patres: subijt tamen impius error
Paulatim; & veteris redierunt crimina luxus.
Incæptum refrixit opus: repetensq. Senatus
Impietatis iter, voluit sub triste reuerti
Libertatis onus. quid nunc? sine præsule regnat;
Vt maiora suis vitijs alimenta ministret.
Vix pauci restant, CHRISTI qui dogmata norint;
Nullus, qui seruet. hic rerum status in vrbe.
Dixerat hæc cæcus: cui contra hæc intulit Heros.
Et patrum sacra gesta refers, & dona Tonantis
Collata huic vrbi ter maxima: nosset amorem
Ipsa vtinam tandem, rerum quo conditor ardet,

Transferat vt ciues æternæ ad gaudia vitæ.
Tu tamen, vt video, CHRISTVM veneraris; & effers,
Quæ famnli gessere DEI; Stygiæq. paludis
Dæmonas esse putas mendacia numina Diuum.
Cui cæcus: Figmenta reor: sed nullus in vrbe
Iam superest, veræ doceat qui dogmata legis,
Et sacros latices, Fideiq. alimenta ministret.
Sic me præcipitem Stygias detrudit ad vndas
Communis labes: viuusq. vidensq. trucidor;
Nam cupio meliora sequi: sed Dæmonis artes
Impediunt. felix, vitę reperire magistros
Qui potuit: vel quem saltem genuere parentes
Moribus exculti; potuit vel cernere Solem.
Cui Præsul: Si credis, ait, genus esse parentis
Aeterni æternum, prolemq. in tempore CHRISTVM
Intactæ matris; sordesq. & crimina vitæ
Immergas vndis lustralibus; inde resurges
Ereptus letho, coeloq. ascriptus: & vltro
Corporis, atque animi duplex lucrabere lumen.
Polliceor victura fidem, maioraq. votis
Dona tuis: sed vera tamen. Nec plura locutus,
Vt vidit cæcum tanta ad promissa ruentem,
Viuificis perfundit aquis; & nomina profert
Mystica, quæ latices supera virtute maritant.
Vix guttas cæcus summo de vertice sensit
In frontem, inq. oculos delabi rore secundo;
Cum videt ignoti rutilantia lumina Solis;
Et stupet attonitus terræ, pelagiq. recessus:
Concipit & subitò tot gaudia pectore toto;
Vt nullas referat grates, nullumq. rependat
CATALDO obsequium: sed protinus inde recedit
Exultans, tantis animi iam motibus impar:
Ingrediturq. vrbem, passim quò pandat in omnes
Hospitis aduentum, coeli portenta; Deorum
Fallaces nugas, verax & numen Olympi.
Mox subit & Præsul; tacitusq. hinc, inde vagatur;
Noscat

Noſcat vt ignotus mores, & crimina plebis.
Ceu Dux, obſeſſas armis victricibus arces
Aggreſſurus, adit loca proxima nocte ſilenti;
Perluſtratq. oculis dubij diſcrimina valli,
Murorumq. minas, tectaſq. ex aggere turres;
Comminus vt videat, qua parte irrumpat in hoſtes;
Immittatq. ſuas ſuperata ad mœnia turmas.
Eheu quis referat, quantis ſacra templa ruinis
Obruta? quanta cauis reſonent laſciua theatris
Organa? quàm luxus pateat, quàm pocula regnent?
Hìc pueros audit vix cognita crimina fari,
Quæ miſeri hauſerunt petulanti ex vbere matrum.
Miratur iuuenes pingues apponere menſas,
Maioreſq. dapes cenſu; validoq. Lyæo
Sollicitare iocos, & claudere pocula luxu.
Delirare ſenes prope limina fornicis horret,
Et canere ad citharam, lepidiſq. aptare choreis
Alterna ratione pedes: nec voluere ſecum
Annorum decadas, nec proxima tempora lethi.
Si meditere forum, ſubſellia iudicis error
Occupat, atque animus præceps, & dulcis habendi,
Sed ſceleratus amor. quotquot non liberat aurum,
Damnandos iam crede reos: nam vilis egeſtas,
Non crimen ſub faſce cadit, bibulaq. ſecuri.
Si conſulta Patrum videas, ſi iura Senatus;
Publica priuatis cedunt: venalis vbique
Maieſtatis honor: ſuffragia plebis anhelat,
Qui patriam vendat, qui commoda deſtruat vrbis.
Fas ſtatuunt, quodcunque libet: quod diſplicet, horrent
Vt crudele nefas: perituro fœdere dextras
Infidus connectit amor: crudelior enſe
Lingua furit; læditq. pios, parcitq. nocenti,
Diraq. blanditijs fictis periuria miſcet.
Crebro & cognatum diſcordia ſæua cruorem
Fundit, & alterno proſternit vulnere ciues,
Atque inter Veneris luſus Bellona triumphat.

Victa iacet pietas; virtutisq. æmula virtus
Languet; & insani regnant sub pectore motus:
Et Superum metus omnis abest; olidusq. sub aris
Squallor inest; fœdoq. situ laquearia sordent.
Heu miseranda dies; heu quàm lacrymabile tempus.
Sola Venus sua thura capit; sua templa prophanis
Exagitat lasciua iocis, turpiq. cachinno.
Huc passim iuuenes properant, facilesq. puellæ,
Quas mala paupertas foribus dimittit apertis,
Vt sibi coniugium, & quæsitas crimine dotes
Inueniant, violentq. toros, fœdentq. maritos.
Has igitur pestes, hæc crimina fusa per vrbem
Aspiciens Præsul, lacrymis ita fatur obortis.
O decus Italiæ, spes ò fidissima regum,
Hanc te post tantos pelagi, terræq. labores
Aspicio? sic sacra PETRI vestigia seruas?
Vrere tot vepres, tot quis diuellere dumos
Possit? & incultis quis sentibus extrahat vuas?
Hoc dextræ omnipotentis opus; quo præside, crebrò
Fertilis exurgit sterili quoque messis in agro;
Infelix quamuis lolium per gramina serpat;
Atque leues passim segeti dominentur auenæ.
Si tuus hic igitur labor est, sanctissime rerum
Arbiter; hos agros, atque hæc vineta potenti
Rore tuo perfunde, precor; quò palmes in vuas
Erumpat; curuetq. suas graue semen aristas.
Imbribus adde ignem, flammas qui nutrit amoris
Aetherei; vt sentes, steriles & torreat herbas:
Quò cineri permista suo mox arua ferantur
Plenius, & cumulent ventura in sæcula messem.
Mouerat interea tanta ad spectacula plebem
Cæcus; dum totam sua gaudia fundit in vrbem,
Et passim iactat, duplicem se cernere Solem.
Vndique conueniunt diuerso tramite ciues
Ad portam, quam Sol radijs brumalibus ambit
Exoriens: vbi cæcus erat, cum munera lucis

Promeruit, lauitq. animam melioribus vndis.
Senserat hoc Præsul, tacitè dum mœnia lustrat:
Quare iter emensum relegens, spectabilis omni
Apparet numero: qualis Cissæa propago
Millibus in medijs stetit altior agmine toto,
Dignus & imperio: tamen illic ardua moles
Corporis; hic mentis nituit, vultusq. verendi
Regia maiestas: quem cum videt eminus, ardens
Exclamat cæcus: Mecum quò tenditis vltra
Ciues? præsentes alibi ne quærite vultus.
Hospes adest, oculis cæci qui lumen ademptum
Reddidit, & clausos postes referauit Olympi.
Obstupuere omnes, tanti dum sacra tuentur
Ora viri; cupiuntq. ducem, vitæq. magistrum,
Censoremq. vrbis, consultoremq. Senatus.
Quisque sui sceleris vestigia cernit, & horret
Præsulis in vultu: rutilanti vt lumine Phœbus
Ostendit, quàm turpe chaos sit noctis, & vmbra.
Ille, vbi iudicium populi, motusq. pudoris
Sentit, & optatæ felicia tempora messis;
Circumquaque oculos versat, plebisq. fauorem
Captat fronte hilari: mox longa silentia rumpit;
Ac tales fundit diuino è pectore voces.

Felices populi, quibus vndique Copia cornu
Diffundens alimenta suo, conuexit in vnum
Diuitias pelagi, fœcundas fœnore glebas,
Temperiem coeli, & nunquam variabile tempus:
Quas grates, quodve obsequium iam redditis vltro
Heu Domino, tantis decorat qui dotibus vrbem?
Quis tam multiplicis diuini muneris vsus?
Quæ ratio expensi? quæ tanto ex semine messis?
Omnia turbastis: Stygiosq. è nectare succos
Carpitis: & Superum tot blandimenta ruinas,
Illecebrasq. mali pariunt, coeliq. fauores
Communi exitio cedunt. nec culpa Tonantis;
Sed vestra illuuies, & vix superabilis error

Vertit in inuidiam, fuerat quod pignus amoris.
Heu vbi nunc virtutis opes, reuerentia legum,
Relligionis honos, culpæ fuga, carceris horror
Aeterni, monumenta boni, vestigia recti?
Quas ego centurias scelerum per cuncta domorum
Limina conspexi? quæ ludicra blanda voluptas
Exercet? quas spargit opes, quos nutrit amores?
Hoccine iura docent CHRISTI, quæ prisca parentum
Seruauit pietas? hoc PETRI dogmata tradunt?
Ecquis erit finis vestri per compita luxus?
Quemve modum capient recidiuæ crimina culpæ?
Peccare humanum est: sed nullo tempore flecti
Ad virtutis iter, lex est, quam seruat Auernus.
Ni vos tangit amor Superum, ni splendor honesti
Sollicitat; moueat saltem turpissima luxus
Effigies, horrorq. mali: qui sistere solus
Effrænes animos posset, culpasq. morari.
Ni vos alliciunt venturæ commoda vitæ,
Empyreiq. decus; saltem deterreat vltrix
Et grauis ira DEI; quæ quanto tardius armat
Crudeles Furias, tanto vehementius vrget;
Compensatq. moras grauitate, & tempore crescit.
Quid si mors veniens, semper quæ comminus astat,
Et quæ sæpe suos ferit inter gaudia luctus,
Vos tanto inueniat fœdatos crimine, tantis
Lusibus enerues? quàm sæuos congeret ignes
In vestrum lethale caput? quibus agmen Auerni
Armabit iaculis? heu tam scelerata voluptas
Magno emitur pretio. modici compendia luxus
Haud licet æternis redimi cruciatibus Orci.
Nulla igitur tantæ mortis fuga? vertite, fratres,
In melius, qui iam præceps per deuia cursus
Vos agitat. pellat labor ocia, crimina virtus,
Inuidiam socialis amor, ieiunia carnis
Illecebras, belliq. truces pax alma tumultus;
Iustitiæq. locum præceps iniuria cedat.

Has

Has ego per lacrymas, & conscia numina iuro,
Perq. tuos oculos, coeli quibus vndique lustras,
Cæce, vias; me velle vrbis reparare ruentis
Excidium, Stygiosq. Deos concludere Auerno,
Et vestros sacrare tholos melioribus aris.
Nec noua iura decet conscribi: dogmata PETRI
Sint satis, & veterum facilis custodia legum;
Ne sint degeneres patria virtute nepotes.
Ille hæc dum loquitur, tacitos DEVS influit ignes
In pectus populi; quibus vndique corda liquescunt
Ferrea, & æterni vinclis nectuntur amoris.
Gaudia iam sordent vitæ; quæsita voluptas
Incutit horrorem; pœnæ genus esse videntur
Illecebræ; mortisq. metus, terrorq. Gehennæ
Amuleta parant contra agmina sæua Diones.
Mirantur, toties se alacres potuisse videri
Inter tot scelerum turmas, tantisq. periclis
Obiectos, totiesq. DEI spreuisse vocantis
Auxilium. Dum turba tamen silet omnis, & ardet
Comminus amplecti Patrem, genibusq. verendis
Obuolui; stetit in medijs prudentior heros,
Qui plebem imperio moderari, & vota Senatus
Venari obsequio poterat, procerumq. fauores:
Atque his accensos animos sermonibus vrget.
Aeternam paritura necem iam crimina vitæ
Quilibet edidicit nostrum: iam sensimus artes
Tartareas, Erebiq: dolos: iam comminus hostem
Nouimus; & nostræ tandem patuere ruinæ.
Has tamen ærumnas quonam vitabimus vnquam
Consilio? quave arte faces fugiemus Auerni?
Cernitis, vt Dæmon nostri insidiator ouilis
Dentibus infrendat, rictuq. minetur hiulco,
Indomitasq. feris odijs exasperet iras?
Quis tamen hunc abigat? quis septa infirma tueri
Audeat, & pecudes Stygijs defendere monstris?
Tu pater auxilium miseris, tu iura ministra:

Tu moderare vrbem, nostrasq. auerte ruinas.
Nam te pastorem legimus; tibi pandimus aras;
Et tua, quicunque es, sequimur vestigia ciues.
Dexter ades: nec turpe nefas, quod cernis vbique;
Te citius Superum sacra ad consortia pellat.
Si cæci misereris, habes hic millia tecum
Agmina cæcorum; qui iam, sine luce vagantes,
Aeternæ meruere pati dispendia noctis.
Hæc ille effatus, Veneris prope templa prophanæ,
Hinc atque hinc magna procerum comitante caterua,
Deducit lætis lacrymantem rebus Ibernum.
Et repetit: Felix hospes, tibi cedimus vltro
Hanc ædem, turpis fœdat quam mater amorum.
Tu mutare animos hominum, tu flectere mentes
Iuraq. Naturæ, rerumq. inuertere leges
Qui potes, hæc delubra sacris temerata prophanis
Heu toties, fœdisq. iocis, & deside luxu,
Fac pia nunc tanto sub Præsule templa resurgant.
Dixerat, ille aditus turpes, miserosq. recessus
Eminus exhorret, iustasq. recolligit iras.
Stat scelerata domus media sublimis in vrbe
Inter vtramque arcem; cuius frons ardua Solem
Nascentem recipit rigido sub frigore brumæ;
Occiduum spectant penetralia, vibrat in orbem
Dum rapidos æstus tumido sub sidere cancri.
Vestibulum ante ipsum fornix altissima surgit,
Ingentem referens arcem: sic pergama crescunt,
Murorumq. minæ, crebræq. in vertice pinnæ:
Hinc noua maiestas templi reseratur; & auro
Tecta nitent laqueata graui, cedroq. perenni.
Hinc atque hinc validis moles operosa columnis
Fulcitur; stratumq. solum simulacra figurant,
Quæ tessellato variant emblemate formas.
Quodcunque aspicias, deformia gesta Diones
Ingerit, & quiquid potuere Cupidinis arcus
In Superos: fierent vt sic exempla Deorum

Illecebræ luxus, scelerum contagia, culpæ
Fomes; & humanos raperent per deuia sensus.
Hìc liceat spectare Iouem penetrare recessus
Acrisionçæ Danaes; dum ludit amantem,
Allicit & furtim guttis flauentibus auri.
Hìc cantat Spartanus olor, blandusq. recumbit
Ledæo in gremio: flammis hic cinctus, & ense
Fulmineo Semelen Cadmeida terret, & vrit.
Hinc vehit Europam taurus: rapit impiger ales
Inde Phrygem; nymphæq. gemunt, vlulantq. molossi.
Parte alia in Phœbum tendentem spicula cernas
Aurea Cyprigenam: iaculo transfixus Apollo
Thessalida insequitur Daphnen: Peneis amantem
Sæua fugit; medio infelix sed tramite cursus
Stat defixa solo: tegitur sub cortice corpus;
Frondescunt crines; onerantur tempora baccis;
Inque triumphales vertunt se brachia ramos.
Ardet & æquoreis patrius Neptunus in vndis;
Et Cererem, dum fingit equum, Salmonida fallit,
Crescentem tumidis mentitus Enipea nimbis.
Decipit Icariden Bacchus: legit illa rubentes,
Palmite quas ficto defendit pampinus, vuas;
Furtiuumq. tegit thalamis ignara maritum.
Haud procul hinc Stygio rapitur Proserpina curru;
Imploratq. Deas frustra, planctuq. lacertos
Verberat: exanimem tandem, similemq. cadenti
Aspicias; raptor fulcit, gremioq. tuetur;
Raptorem insequitur probris Tritonia Pallas;
Hasq. inter turbas ridet sua furta Cytheris.
Quiq. Erymanthæi deuicit robora monstri,
Tergeminumq. ducem strauit, qui contudit hydram;
Atque Cleonæi discerpsit membra leonis,
Inter Mæonias ducit iam fila puellas;
Et clauæ præferre colos, & pollice fusum
Versare, & properat stamen contexere pensis.
Cætera quid memorem? ludibria cuncta Deorum

Tessellæ effinxere solo, Venerisq. triumphos.
Quæ grauis incedens sacro pede proterit Heros;
Exhorrensq. nefas, aliò pia lumina flectit.
Vltima pars ædis graduum discrimine trino
Attollens sese, reliquæ supereminet aulæ,
Non tamen æquali spacio: nam cedit vtrinque
Ascensus, geminis templi qui subiacet alis.
Læua cruore madet pecudum; pars altera Diuæ
Effigiem seruat: prope quam vastissima turris
Nubibus infertur, quæ culmine territat vrbem,
Hostilesq. notat prædonum lampade classes.
Inter vtrumque latus maior componitur ostro
Ara, decus Parij quam marmoris ambit, & ornat;
Et moles operosa tegit suffulta columnis,
Barbara quas Phrygia exculpsit, vel Graia Corinthus.
Hinc cruor omnis abest: tantum Nabathæa vaporant
Thura locum; tenuiq. calet suffimine myrtus.
Antrum immane latet, cæca testudine clausum,
Extrema sub parte domus: sacraria Ditis
Sic finxere patres; tantus sub luce maligna
Stat metus; & tantus penetralibus insidet horror.
Ante Deam iuuenes festas de more choreas
Ducebant misti senibus, leuibusq. puellis:
Attamen extemplo, postquam videre ruentes
Tot turbas hominum, templiq. inuadere limen,
Absistunt, auidiq. rogant, concursus ab ædem
Quid velit; atque vno quid quærat ab hospite vulgus.
At Præsul fretus Domino, populoq. volente,
Exturbat Diuæ thalamos, irrumpit in aras,
Calceat thura, fugat pecudes, sculptamq. Cytherin
Comminuit, Stygiosq. Deos ad bella lacessit.
Mox aperit præcepta patrum; populumq. fateri
Imperat oblitæ dudum solennia legis,
Inq. sacris vndis vita meliore renasci
Interea cedens astris, Tartesia Phœbus
Littora contigerat, noctisq. citauerat vmbram.

Discedunt

Discedunt populi: cunctisq. petentibus vltro
Excipere hospicio fessum, sic obstitit Heros.
Hæc mihi templa satis: Dominus me detinet hospes.
Non epulis inhio; dapibus fruor ipse repertis.
Vestra salus alimenta dedit: nec carpere somnos
Posse licet tutos; quoniam bella horrida restant
Cum veteri custode domus. Venus ista fuganda est;
Dæmones & reliqui, quos huc Cytherea coegit.
Sic fatus, sua quemque hilarem sub tecta remittit.
Ipse humilis prostratus humi, dominumq. patremq.
Sollicitat votis, penitus quò callidus hostis
Aufugiat victus, superisq. ea mœnia cedat.
Ecce autem ex adytis visa est domus illa repente
Concuti, & immani repleri murmure templum:
Tartareasq. acies sentit nil territus Heros
Armari ad pugnam, quotquot vix agmina, iuxta
Thermopylas, Xerses numerato milite vidit.
O quales vultus referunt! quæ prælia fingunt!
Quod genus armorum quatiunt! quæ damna minantur!
Gorgonas hi simulant, Sphingisue tricorporis artus,
Arcadicas alij volucres Stimphala colentes.
Sunt qui Centauri gaudent præferre bimembris
Effigiem, vibrantq. hastas, & spicula torquent.
Rictibus hos armat deformis ianitor Orci:
Hos flamma, & facies circumplicat atra Chimæræ.
Has videas vacuam rabidas cursare per ædem,
Ferri & in aduersum totis conatibus hostem.
Ast accedentes propius vel terra dehiscens
Obruit, aut sistit vis inconcussa Tonantis:
Tela cadunt, languent vires, audacia cedit;
Victoremq. virum solis vlulatibus vrgent.
Qualis vbi erumpens in proxima littora pontus,
Fluctibus armatur tumidis, efferuet in æstus,
Erigiturq. polo, spargitq. per æthera guttas:
At vix tangit humum, primas vix tentat arenas;
Cum subito victus, sua per vestigia cedens,
Sternitur;

Sternitur; & rediens venientes comprimit vndas,
Fluctibus opponens fluctus: stat libera tellus
Interea, & coeli rutilantia sidera cernit
Lætior: at spumas reuomens per littora pontus
Oppositas rupes vix murmure vexat inani.
Constitit in medio tandem lacerata capillos
Falsa Venus; lacrymisq. rigans mendacibus ora,
Incitat infernas rabido sermone cohortes.
En sceleratus adest hospes, qui Tartara prędis
Expoliat; qui templa, meis decorata tot annos
Exuuijs, adimit miseræ: qui diruit aras;
Marmoraq. effringit nostros referentia vultus;
Quiq. audet Stygias nocturno tempore solus
Expectare acies, atque irridere ruentes.
Et viuet? gemituq. meo, lacrymisq. fruetur?
Et poterit vestris orbem viduare triumphis?
O Erebi effętæ vires, ò languida Ditis
Robora; tergemini ò quondam fera guttura monstri.
Nomine turbatus nostro, delusus & vmbris
Noctiuagis, crebro pręceps exhorruit orbis:
Vnus & interdum clamor, vix faucibus Orci
Egressus, centum validas deterruit vrbes:
Stat modo contra acies, atque horrida monstra barathri
Vnus, & ignotus, patrijsq. à finibus exul.
Heu reuocate animos, vestrasq. resumite vires,
Bella mouere (DEO) qui iam potuistis, & ignes
Fulmineos cohibere manu, coeliq. cohortes
Aggredi, & æternis orbem tumulare ruinis.
Aut, si non eadem virtus, subducite bello
Vestrum agmen; date tela mihi: concedite flammas:
Sola Venus poenas scelerato ex hospite sumet:
Et quę blanditijs nunquam superare seuerum,
Illecebris durum, muliebri fraude sagacem
Emerui; tot post victricia facta superbum
Prosternam telis Erebi, flammisq. Gehennæ.
Vel mihi si tandem non est spes vlla salutis;

Si fuga præcipitem rapiet; quasi Parthus, in hostem
Aufugiens fera bella geram; templumq. ruinis
Inuoluam; victorq. meis tumulabitur aris.
Dixerat. Illi iterum maiori robore pugnam
Instaurant; fremituq. virum, telisq. lacessunt.
At Præsul, coelo figens pia lumina rursus,
Exclamat; DEVS esto mihi dux, tutor, & auspex.
Hoste premor valido; patior vim; subruor armis
Tartareis: poteris tu vincere Tartara solus,
Atque Acheronthæas nutu exturbare phalanges.
Exere sidereos vultus; mihi comminus asta.
Te videant hostes, repetant & limen Auerni:
Et toties victi subeant fera vincula manes.
Nec mora, flammiferis radijs splendescere tectum
Incipit, & tristis tenebræ decedere noctis,
Audiri & tenues vox clara effusa per auras:
Ecce DEVS; venit ecce DEVS: procul este prophani.
Et dicto citius fugiunt procul inde Diones
Palantes acies; tantisq. exempta tyrannis
Stat facies templi: qualis nitet æthere aperto
Clara dies, nimbis quam texerat humidus Auster,
Et vaga turbarant stridentibus astra procellis.
At sacer Antistes numen veneratur amicum:
Agnoscitq. DEVM melius; quàm Delphica vates,
Cum Phœbi impatiens folijs sua carmina mandat.
Nec rudis Aethiopum tellus; nec gleba Sienes
Niliacæ tantum incaluit sub sidere cancri,
Quantum corda viri coelesti ardore liquescunt,
Sacraq. sidereis exudant viscera flammis.
Ille igitur Dominum læto sic ore salutat.
Expectatus ades, spes ò fidissima nostri,
O terræ, coeliq. decus, Phlegetontis & horror:
Nam sine te poterat quis tot superare maniplos
Stirpis Hyperboreę? tot quis vitare sagittas
Tartareo infectas tabo, Stygijsq. venenis?
Hostis abest tandem; sacro nam nomine victus
Aufugit:

Aufugit: tibi caſtra patent inimica; nec vltra
Occupat Alecto palatia debita coelo.
Quod reliquum, tu regna tene, quæ libera reddis;
Aeternumq. tibi ſeruet per ſæcula cultum
Hæc domus, exactos nunquam paſſura tyrannos.
Interea ſi turpe nefas repetatur in vrbe,
Quod vocet vltrices Furias, quod fulmina poſcat
In pœnas; coeliq. furor ſic ſubtrahat imbres,
Vt violenta fames, rabiesq. occidat edendi
Hos populos; vel in arma ruat truculentior hoſtis;
Aut ſua lethalis vibret contagia peſtis:
Et pertæſa ſui ſceleris plebs templa frequentet,
Quæ teneo; lacrymisq. riget manantibus aras,
Quas ſtatuam; tu dexter ades; tu parce roganti:
Ceſſet pernicies; vincat clementia coeli
Impia corda hominum: tibi nec temerarius error,
Quo mage mortales repetito crimine ſordent,
Immutet patrios vultus, & pectus amicum.
Annuit Omnipotens precibus: templumq. verenda
Maieſtate replet; diuinum & ſpargit odorem,
Quocunque aſpicias, miſtos & nectare ſuccos.
Tantis delicijs impar CATALDVS, anhelo
Pectore ſuſpirat: ſenſimq. infuſa per artus
Vis occulta adimit vires, & munera ſenſus;
Corpus & immotum librato pondere ſiſtit,
Ne cadat in præceps, amiſſo aut robore nutet.
CHRISTVS at excedens ſua per veſtigia, ſedes
Quas non deſeruit, repetit: mentesq. beatas
Meſſe Phalantæi, quam mox dabit, vbere campi
Plenius exhilarat; tacitusq. annalibus indit
Aeternis quæcunque viro modo dona petenti
Promiſit; maiora etiam mox ſponte daturus.

FINIS LIBRI QVARTI.

BONAVENTVRAE MORONI CATALDIADOS

LIBER QVINTVS.



IAmq. rubeſcebat coelum, quà præuia ſenſim
Lumina fundebat Nabathæo è littore Titan:
Culminibusq. ſedens tectorum Biſtonis ales
Iam matutinos rumpebat garrula ſomnos;
Cum redit ad ſenſus Præſul: ſacroſq. ſopores
Excutit, & totos animam diffundit in artus.
Conueniunt rurſus proceres, atque ordo Senatus
In templum. mox geſta rogant, tacitiq. loquentis
Ora viri obtutu fixi meditantur in vno.
Senſibus atque auidis haurire videntur odores
Sidereos, coeliq. dapes, & nectaris imbres:
Namque obiecta oculis maieſtas viuida templi
Pene expreſſa ſolo Domini veſtigia ſeruat.
Impiger at Præſul titulis melioribus ornat
Circumquaque locum: media & teſtudine ſacrat
Altare, aurato ſemper quod fulgeat oſtro,
Perpetuumq. tegat duodena lampade lumen.
Partem, quam pecudum turparant ſanguine fibræ,
Aptat ſublimi ſolio; quod conditor orbis
Impleat, ætherea veniens occultus ab arce,
Nobiſcum vt maneat; noſtriſq. accendat amorem
Viſceribus, ſe ſe per viſcera noſtra refundens.
Oppoſitumq. latus, quod iam ſimulacra premebant
Cypridos, ad reliquos ſacrorum deſtinat vſus.

Antra profunda domus, sceleris monumenta pudendi,
Imperat esse locum mœstis vlulatibus aptum;
Plebs vbi peccatrix, scelerum pertæsa priorum,
Mulceat in lacrymis offensi numinis iras,
Vltoremq. DEVM, detecto vulnere flectat.
Mox templi immutat titulos; vt VIRGINIS almæ
Præferat æternum nomen: celebrentq. nepotes
Nunquam degeneres solennia sacra quotannis,
Cum genitrix intacta DEI penetrauit Olympum,
Corporeos artus, deuicta morte, resumens.
Dignis præterea decorat noua templa ministris;
Qui postes referet; teneat qui thuris acerram;
Qui subeat lectoris onus; qui dæmona vexet;
Qui recolat quidquid scribentis dogmata Pauli
Præcipiunt, & vasa ferat, vinumq. ministret;
Quiq. Redemptoris miracula, vulnera, mortem,
Doctrinamq. canat, sacrisq. propinquior astet;
Qui demum, niuea decoratus veste, Sacerdos
Pro populo, pro Rege litet; verbisq. verendis
Immutet pœnas, scelerumq. adamanta refringat.
Hæc vbi composuit, moderari pectora plebis
Incipit, & passim diffundere semina vitæ;
Naufragus, exul, inops, male cognitus aduena nuper:
Nunc ciuis, patriæq. parens, tutorq. perennis.
Et ceu, dum roseis fulgens Aurora capillis
Excitat alma diem, tenebrasq. ex orbe repellit,
Diffugiunt lemures, & vana insomnia noctis;
Buboq. feralis, miseriq. adnuncia lethi
Noctua triste canens, repetunt sine Sole recessus,
Et detestantur funesto murmure lucem:
Attica vernat auis; spirant felicius auræ;
Nocturnoq. gelu nuper depressa resurgunt
Lilia; perq. ægras viuacia robora plantas
Sparguntur; coelumq. suum sibi terra maritat:
Sic mentis tenebras tergit sanctissimus Heros;
Atque Tarentinæ circum præcordia plebis
Ingerit

Ingerit æternæ ſenſim primordia lucis:
Dæmones aufugiunt; redeunt virtutis honores;
Et paſſim æthereа demiſſus Spiritus arce
Vitales afflat Zephyros; ſpargitq. ſupernas
Delicias, Fideiq. ſacræ ſacra dogmata firmat.
Iam videas, quid verba DEI, quid candida virtus'
Quid valeat pietas, & ſpes animoſa ſalutis.
Hinc lacrymas, gemitusq. graues fert cognitus error;
Hinc conſolatur miſeros clementia cæli:
Spemq. metumq. inter dubij, nunc munera vitæ
Sperant, nunc horrent æterni carceris ignes.
Mutantur cuncta in melius: veſtigia luxus
Nulla manent: nitidis languent conuiuia menſis:
Inuidiæ charitas, turpi ſuccedit honeſtum:
Præcipites cohibet motus patientia conſtans;
Excutit atque labor torpentis tædia vitæ.
Quem furor accendit, vindexq. exercuit ira,
Nunc hoſtes in pace fouet: quem blanda voluptas
Edomuit, laſciua nequit ſuperare Cytheris.
Simplicitas pro fraude nitet: qui corde tenaci
Cogebat, nunc ſpargit opes: quem vana ſuperbum
Fecerat ambitio, patitur ſine lite priorem.
Hos inter medius diſpenſat iura Sacerdos;
Atque inſtat præſens operi, laudatq. ſequentes.
Hinc decreta Patrum pendent, hinc pondera rerum:
Quodcunque ille iubet, lex eſt; iniuria, quidquid
Ille vetat: quem non odium, non gratia flectit;
Qui meritis partitur opes: qui iudicat omnes
Aequa lance reos: ſæua eſt clementia Patris,
Clemens ſæuities. hilaris cum Præſule regnat
Adraſtæa ſuo: ſociati foedere ciues
Aeterno, nullo violant ſacra iura tumultu.
Vndique tuta quies, pax & tranquilla tuetur
Concordes animos: commercia cuncta per vrbem
Exercet ſyncera fides: dant facta vigorem
Promiſſis: nullis violantur fraudibus artes.

Et, quamuis pateant nocturno tempore postes;
Nulla vnquam infandis spoliantur tecta rapinis.
Stat sine lite forum; iuris tria verba silentur;
Vel siqua insurgit contentio, bella geruntur
Obsequio: vincitq. parem, lætusq. triumphat,
Munere qui potuit palmam maiore mereri.
Crescite virtutes: stant præmia certa merenti;
Nec locus indigno est: patuit iam campus honori;
Et terra, cæloq. fluit ditissima merces.
Aurea quid memoras, laudator temporis acti,
Secula, dure senex; cum flumina nectaris ibant,
Horridaq. Hyblæas sudabant marmora guttas?
Regnaq. quid frustra toties Saturnia iactas,
Reddebat fruges vltro cum prodiga tellus,
Ne rastri pateretur onus, neu vomeris ictus?
Heu vix vna dies rutilo fulsisse metallo
Dicenda est; quoniam dederat quod Lucifer aurum,
Hesperus eripuit, ferrumq. inuexit in orbem.
Dum seruauit Adam quidquid præcepta Tonantis
Sanxerunt, auro nituere exordia mundi:
Mox chalybem sensit, subijt dum pondera culpæ,
Cunctaq. Tartareæ demersit secula nocti.
Aurea restituit, cumulato foenore, CHRISTVS
Tempora, qui solus limen reserauit Olympi;
Mortis & imperium fregit, Stygiosq. furores;
Rursus & Astræam nostrum deduxit in orbem.
Oebalia hæc felix ætas effulsit in vrbe,
Dum pauit CATALDVS oues; dum dogmata CHRISTI
Legibus inseruit patrijs; moresq. priores
Dedocuit populos, & crimina mersit Auerno.
Nec tantum ille iubet; sed, quod putat esse gerendum,
Primus obit, reliquosq. præit, vitaque sequentes
Allicit, & sacros mores diffundit in omnes,
Forma gregis factus. fugiat quis prælia miles,
Si dux præcedat reliquas ad bella phalanges?
Quidquid habet census, inopum depascit egestas;
Aegrorumq.

Aegrorumq. lues : desint si dona rogato,
Vrgeat & miseros paupertas indiga, frangit
Aurea, quæ Domino deuouit vasa Senatus;
Diuidit & sacras vestes, partitur & ostrum.
Hæc quoque si desint, genium defraudat : & escas,
Frugalesq. dapes, sibi quas præscripserat, vltro
Largitur : gaudetq. inopum succedere mensis
Ieiunus; ne mox liceat spectare gementes.
Nec solum per tecta cibos partitur, & aurum;
Sed mulcet plerumque domi, quos sæuior angit
Esuries, secumq. fouet, sordesq. tenaces
Abluit; atque dapes, & Massica vina ministrat.
Quos dolor exagitat morbi, quos arida febris
Exedit, hos visit præsens, hos fronte serena
Solatur : talesq. capit per viscera motus,
Vt petat à Superis alienæ incommoda sortis,
Et plebs incolumis, languenti Præsule, viuat.
Principis imperio violato, aut iure Senatus
Sentit vt esse reos latebroso carcere clausos;
Extemplo inseritur medius : tantumq. precator
Efficit, vt subito non digna compede vinctos
Absoluat, sontesq. premat leuiore flagello.
Funeribus quandoque præest, & membra feretris
Mortua componit, socioq. in funere luget.
Promptius at peragit, siquid iuuat : atque medetur
Vulneribus mentis; siquid nocet, eminus arcet.
Si cadat in præceps aliquis, repetatq. relictum
Impietatis iter, totis conatibus instat,
Vt sese lacrymis redimat, rursumq. salutis
Inueniat callem. si non resipiscat, acerbè
Increpat; & tandem, sensu renuente, proteruum
Deuincit, redditq. astris, adimitq. Gehennæ.
Sic portat Pastoris onus; sic cara tuetur
Armenta; & Stygijs monstris sese obijcit vltro,
Si rapiant aliquid; crebroq. è faucibus ipsis
Subtraxit violenter oues; frustraq. frementes

Dæmonas ad cæcum detrusit limen Auerni.
Si quem blanditijs, siquem terrore minarum
Flectere non poterat, Dominum gemebundus adibat;
Atque his diuinas mulcebat vocibus aures.
Ergo mea hæc soboles, tibi quam peperere labores,
Et gemitus, lacrymæq. patris, tumulabitur antris
Tartareis, cæloq. ereptam flamma perennis
Comburet? quid me, quid me iuuat, vrbe relicta
Quæ genuit, quæsisse mihi discrimine tanto
Hanc patriam, lauisse vndis lustralibus omnes,
Eripuisse neci; si, me spectante ruinas,
Hic miser (infandum) Stygijs detruditur vmbris?
Quid non tentaui ne, te renuente, periret?
Hunc prece demulsi genitor; censorq. seueris
Verbis corripui; vexaui carcere iudex;
Præcipitem tenui. sed mox grauiore ruina
Concidit; & tentans sceleri scelus addere maius,
Heu miser ad nostros induruit amplius ictus.
Ergo nihil superest? exhausta heu pharmaca vitæ
Cuncta tibi? miserum nec spes manet vlla salutis?
Et perit, & patiar? præceps delabitur orco
Infelix natus; poteritq. videre ruentem
Hunc genitor, gemituq. graui haud obtundet Olympum?
Anne perire hominem leuis est iactura? dolorem,
Sanguineosq. tuos testor, Pater optime, riuos,
Et pœnæ, mortisq. genus: quæ cuncta subisses
Vnius ob vitam certamina. corruet ergo
Quod tanto reparas pretio? deludet Auernus
Tantos conatus, prædisq. fruetur Olympi?
Tu, pater omnipotens, adamantina pectora molli;
Incute vim menti: viuaxq. euincat iniquam
Gratia duritiem, tumidoq. è Dite triumphet.
Ni facias; matrem gemitu, lacrymisq. ciebo:
Cui non ætherei solum concedis honorem
Imperij, sed te (quis credat?) subijcis vltro,
Atque nefas reris non exaudire rogantem.

Sic prece sollicitat Dominum sanctissimus Heros,
Et tandem extorquet munus, retinetq. ruentem.
At, postquam ille diu caræ sic præfuit vrbi,
Vsque adeo emicuit cælesti lumine tandem,
Sidereos cernens vultus, crebroq. beatis
Coetibus assistens, Dominiq. fauoribus auctus;
Omnia vt inspiceret ventura in tempora vates
Eminus, & dubij seriem contexeret æui.
Motibus æthereis igitur compulsus, ab omni
Semotus cura, cœliq. arcana reuoluens,
Imprimit in solido venientia tempora plumbo;
Conscribitq. notis sacris, decoratq. figuris.
Hic videas sæuos Arabum de finibus hostes,
Quos furor impatiens vix noto ex orbe refudit
In nostrum exitium, longa obsidione TARENTUM
Cinxisse, atque æquasse solo mox Herculis arces.
Ah quoties dextram retrahens, ciuilia luxit
Funera longæuus vates, patriæq. ruinas.
Sculpsit & inuitus castrum prope littoris oram,
Quod Sarraceni subito struxere tumultu,
Præsidio vt possent victos defendere muros.
Proximus auratis fulget Nicephorus armis,
Sceptra orientis habens; qui, pulsis hostibus, vrbem
Instaurat, reparatq. arcem, molemq. propinquam
Diruit, & sacro defendit nomine ciues.
Haud procul hinc, Bohemunde, tuos apponit honores
Præsul; & insinuat, vertas vt classica Martis
Bosphorida in Thracen; sistrata & in agmina Memphis,
Ne mox fraterno deturpes sanguine dextram.
Cede Tarentinos agros, da Principis omen
Rogerio: maiora tibi dabit æmula virtus
Intra vrbem Antiochi: nec Gottifredus honores
Imminuet, qui regna tibi permittet Orontis.
Sed te fratris amor socium vocat: Appula pubes
Seruit vtrique viro. pugna hæc felicior: armis
Obsequij gemini fratres in fœdera certant.

Hinc se Tancredus, totò celebratus in orbe,
Præfert tutorem pueri: Constantia mater
Assentit: tamen astra vetant; nam funera nati
Illa gemit; tutorq. vigil succedit in arces
Oebalias, felix Princeps; multosq. per annos
Imperat; & dotes Valteri Præsulis auget;
Atque Sacerdotum cumulat post funera census.
Post hæc CATALDVS tetra caligine mersit
Multas annorum decadas: nam singula promi
Forte minus decuit. Longo discrimine rerum
Cernitur Henricus, cui iam Normanna Sueuo
Cessit progenies. tenet hic Trinacridos oras
Patri Aenobarbo similis; bimarisq. Tarenti
Iam dominus, pia templa fouet: nec munera solum
Donantis possunt, sed & aurea verba videri;
Dona quibus decorat, firmatq. diplomata Princeps,
Pectoris vt passim ingentes effundat amores.
Turbatur vates, tanto succedere patri
Natum degenerem: simulacri effingere tetros
Vix potuit vultus, vix sculpere nomina plumbo,
Friderice vale, genitore indigna propago:
Te sacræ è gremio matris metuenda potestas
Arcet Pontificis; cui tu, scelerate, parenti,
Et domino obsequium poteras persoluere duplex:
Mactat Manfredus proles tua, sanguine cretus
Seruili; quoniam Superos accendis in iram
Sæuis crimiuibus. Natum iam cernite patris
Extincti hæredem, sed vi, sed fraude; venenum
Nam mox Conrado fratri exitiale ministrat,
Et regnat; sequiturq. patrem non æmulus impar.
Namque vrbes Italas diris conatibus vrget;
Pontificisq. minas spernit. spectate ruentem
Sub Carolo: & quamquam leuis est iactura sepulcri,
Sat miserum est sine lege mori, sine fœdere Petri.
Principis inferias celebra ne triste Tarentum:
Quem DEVS abiecit, quid tu complecteris? ira

Quem

Quem ſacra cœlicolum iam iuſta cæde peremit,
Quid luges? fuerat Dominus; ſed iura tyranni
Seruauit: potuit nec ſceptra paterna mereri,
Qui patris inuiſam turpauit ſanguine dextram.
Sat tibi ſit Carolus vindex, qui Principe dignum
Nomen, & omen habet; Dux Andegauenſis vt olim,
Narbonæq. Comes; ſic nunc ſpectabilis oſtro,
Parthenopesq. pater. Mox tu ſub iudice ſæuo
Corradine cadis: ſed te præſagia vatis
Effingunt lætum, nec pondera vaſta ſecuris
Horrentem; æterni quoniam conſortia regni
Concipis, & ſceptro ſperas meliore potiri.
Quantas Gallorum cædes, quot funera cerno
Sicanios inter fines: dant ſigna tumultus
Veſperæ; & exilis fit buccina Martis arundo;
Fictaque non fictas reperit dementia technas.
Hinc auxit primum vires Aragonius Heros
Petrus, qui victum Carolum tranſmiſit Iberis.
Poſt varios caſus tandem victricibus armis
Hunc vti DEVS ipſe vetat: nam victor in hoſtem
Incidit; & primo belli iam vulnere tutus,
Enſe ſuo moritur, tumida ceruice recuſſus
Bellatoris equi, patrios & ſanguine poſtes
Inficit. ò hominum mens crebrò ignara futuri.
Augentur ſenſim ſub Principe noſtra Philippo
Stemmata: nam Thracen connubia prima marito,
Vltima Bizanti imperium adiecere Tarento.
Poſt hæc Robertus regno ſuccedit auito.
Quòd tamen eſſe nequit genitor, pro pignore neptem
Subrogat, atque viro iungit: ſed coniugis vxor
Buſta parat. videas pendere ſub axe triligni
Martelli Caroli prolem: nec ſanguine digna
Andreaſſe tuo ſuſpendia ſæua videntur.
Sed coniux ſcelerata nefas orditur iniquum,
Vt Ludouico nubat: qui regna Phalanti
Princeps obtinuit, lætis viduata Philippi

 Auſpicijs:

Auspicijs: noxam sed vindex pœna secuta est;
Robore Pannonij Regis nam turpis adulter
Pellitur; & præceps sequitur Regina maritum,
Aut lethi communis iter: Narbona recondit
Ambos. Insurgens Carolus mox eripit vrbem
Hostibus, aut potius desæuit in vrbe tyrannus,
Quem Dyrrhachinum patrio cognomine dicunt;
Quòd prius Emathijs princeps regnasset in oris.
Hei mihi quanta lues, quot ferrea vincla parantur
Ciuibus! indignam titulis, & stemmate Regum
Qui non seruarunt totis conatibus vrbem.
Parthenope infelix, tot possim obnoxia bellis;
Subdita tot dominis, tot regia iura quotannis
Immutans. quæ caussa mali? quæ sortis origo
Tam sæuæ? vnde tibi tam crebra incommoda surgunt?
Tu tibi damna paras, tu tristia funera misces:
Nam facies vrbis, toto speciosior orbe,
Fœcundumq. fretum, quod fortia pergama cingit,
Pingue solum, coeli clementia, mobile vulgus,
Et procerum inconstans animus, Regumq. potentum
Ambitiosa fames, fortasse & iusta Tonantis
Vindicta hostiles acies, incendia belli
In tua tecta trahit diuerso è cardine Mundi.
En modo Pannoniæ penetrant tua tecta phalanges:
Et moritur Carolus, campo mactatus eodem,
Quo nuper coniux insontem sæua maritum
Perdidit, vt posset thalamos temerare iugales.
Sed mutat Fortuna vices: nam mœnia victor
Cedit Ioannæ; & Princeps cum coniuge regnat
Communi auspicio, paribusq. insignibus: olim
Nam Regina viro præerat, populisq. seorsum
Iura dabat; maior quò sic superesset amanti
Libertas, maior scelerati & copia luxus.
Hæc viduata viro, crebrò connubia tentans,
Teutonico longæua duci sociatur Othoni,
Cedens communes thalamos, non regna, marito.

Nec

Nec te pœniteat, Princeps, hoc nomine dici;
Namque pares regnis titulos dat forte TARENTVM:
Oppida tot vicit, tantas sibi subdidit vrbes.
Sed numquid fugiet meritas post crimina pœnas
Impia mactatrix, toties quæ sordida luxu
Deturpat genitale decus, totiesq. cruentat
Sæua maritales thalamos? mox Carolus alter
Adueniet vindex; cui iam diademata regni
Dextera Pontificis donat. bella horrida rursus
Emergunt; sed bella iuuant: nam limina pandit
Parthenopæus eques Carolo, Regemq. salutat.
Rex victor sine cæde suam complectitur vrbem,
Inuaditq. arcem. soli nectuntur Othoni
Vincula; sola perit Regina. ò debita culpæ
Supplicia. illa virum necuit; nunc ægra cubili
Decumbens moritur, Diris agitata mariti.
Neve genus desit mortis, puluillus hiantem
Comprimit, & miseræ vitales denegat auras.
Nec te prætereunt diuina oracula vatis,
Baucia progenies educta è sanguine Regum.
Iam Raymundus adest, qui patri infensus, & vrbe
Eiectus, Pœnis post se monumenta reliquit
Roboris inuicti: solusq. egressus in hostem
Mole gigantæa horrendum, deiecit; & auspex
Victricis palmæ, mox Barbara signa fugauit;
Ergo patris titulos habeat, defendat & arces
Oebalias Princeps, Lacedæmoniumq. Tarentum.
Obsessum iam cerne Patrem, cui Dardana flectit
Roma genu; cuius proni vestigia Reges
Sacra fouent, prensantq. pedes. obsessor, & hostis
Fit Carolus, cui regna Pater permisit; & vrbem
Parthenopen, nullo repetito fœnore, cessit.
Ingrato, Raymunde, tuas oppone phalanges,
Atque Phalantæo deductas littore puppes;
Pontificemq. hilarem Romanis arcibus infer.
O felix Princeps tanto decorate triumpho;

Non modo quòd veniens victricia signa coerces;
Et Regem superas; sed quòd potes, agmine fultus
Oebalio, patrijsq. armis, subducere vinclis
Pontificem, sacri quem Tybridis vnda veretur,
Tartara quem pauitant, coelum fouet, orbis adorat.
Bella iterum, & cædes: iam iam ruitura videtur
Nostra domus; iam iamq. hostes grassantur in arcem.
Arma Ladislaus, Raymundi funere lætus,
Inuehit in muros cineres; Carolumq. parentem
Vindicat. at Martem tandem deuicit Amoris
Blanda lues; hostemq. faces domuere iugales:
Nam viduata viro coniux, dum protegit vrbem,
Corda Ladislai vultu ferit; ille Mariam
Postulat, & fœdus; sic sceptra, & stemmata sumit,
Quæ modo vix poterat sibi debita castra tueri.
Cæde Ladislai (quem non aconita necarunt,
Sed Veneris truculenta fames, violataq. furtim
Coniugia) imperium soror obtinet. audet Alopus
Sollicitare torum dominæ, aut stuprare volentem.
Sed post furtiuos thalamos, post funus amantis
Sanguineum, vindex Burbonius vrget iniquam,
Vir prius, hinc hostis; victor, mox victus, & vrbe
Eiectus; quoniam auspicijs melioribus vti
Noluit; & pulsus regno, se se abdidit vltrò
Arcibus Oebalijs; tenuitq. ea mœnia Princeps.
Sed fugat hunc iterum Raymundi digna propago,
Vel precio mulcet miserum; qui Gallica tandem
Regna petit, vitæq. iterum pertæsus, in antris
(Quis credat?) reliquos ignotus transigit annos,
Atque feris homines permutat, & oppida syluis.
Fronte hilari excipitur tandem, comitante Senatu,
Legitimus Princeps; cui non potuere parentes
Iura dare imperij; sed mox dedit inclyta virtus.
Oebalia ò nimium tanto sub Principe felix,
Baucia quam decorat domus, & quam rictibus armat
Vrsus, & auspicijs cui mox dabit Anna secundis

Aduersa

Aduersa nunquam concussam sorte Columnam;
Nunc Astræa redit; nunc aurea sæcula fulgent;
Nunc pietatis honos regnat; nunc fœdera bellis,
Nunc virtus sceleri, nunc ocia pigra labori
Succedunt; iam luxus abest; procul ambitus errat;
Obtinet & quæ non ambit suffragia consul;
Simplicitatis amor commercia fida tuetur;
Fictaq. lethalis pereunt mendacia linguæ.
Erigit hic Heros immania templa Tarenti
Extra vrbem, auspicijs decorata, & nomine sacro
ANTONI; fundatq. domum, quam fama MINORVM
Illustret, pietasq. colat, tuetur & ardor.
Hunc fouet officio, sociumq. è millibus vnum
Eligit, huic seruat titulos, huic auget honores
Alfonsus veniens: nutantia pondera regni
Vt subeat, decoretq. Italos Aragonia proles.
En tubus hostiles turmas, en ductus aquarum,
Troiani quasi venter equi, diffundit in vrbem
Armatas acies, & bellica pignora Martis.
Gaudet Parthenope vinci: capit arma Renatus:
Sed frustra; Gallo quoniam non cedit Iberus.
Regna capit patris mox Ferdinandus, ouantes
Excipiunt Regem proceres, populiq. salutant
Vrbsq. hilaris domino palatia pandit, & arces.
At vide, vt erecta solus ceruice receptum
Baucius abijciat, bellumq. minetur, & hostes
Inuehat; indignum ducens, è pellice natum
Ius dare tot populis, regali & stemmate cingi.
Bella gerit Princeps, Regi non viribus impar,
Fortuna sed forte minor; iam castra Suessæ
Opponit, spernitq. preces, & dona precantis.
Ferdinande, tuo non vincis robore tandem:
Febris anhela Ducem sternit, gens perfida mactat;
Auctor tu sceleris fortasse, Akilia testis,
Proditor Aggellus, nec non fera corda Vidani.
Tu demum tuta susceptus in arce Tarenti,

Plurima

Plurima largiris, promittis plurima; Patres
Obsequio, & donis populorum pectora mulcens,
Lætus in vrbe suo viduata Principe regnas.
Parte alia audiri gemitus, lacrymasq. videri
Censeres procerum, quos vincula dira coercent:
Namque hos semineces tumulat furor impius; illos
Obtruncat furtim; pœnis hos mulctat apertis,
Atque in frusta secat. miserorum corpora passim
Cæsa iacent; passimq. hastis præfixa feruntur
Heu capita Heroum nigro squalentia tabo;
Quid faciant hostes, ciuili sanguine limen
Si patrium, si rostra fori, si compita sordent?
Parthenope miseranda parens, tot funera vidit
Natorum; quos iam tumidus, timidusq. tyrannus
Perdidit insontes, dum credidit esse rebelles.
Nonne vides, Thraces quam tristia bella minentur?
Infelix Hydrus, nimium vicina furenti
Epiro, valido replet quæ milite classem
Barbaricam. tu sola cadis; sed sedibus infers
Aethereis ciues, victor quos proterit hostis
Spernentes Mahometis opes, & pectore toto
Seruantes Fidei, & veræ pietatis honores.
Felix excidium, spolijs quo reddis onustum
Empyreum, coeliq. reples Capitolia prædis.
Qui ciues fuerant, patrios qui sanguine postes
Polluerant, regnant; qui comminus hostibus arcem
Cesserunt, nostro depulsi ex orbe tuentur;
Vltoremq. vocant, qui te victricibus armis
Vindicet Alfonsus; meliorq. ex funere surgas.
Cerne Phalantæas acies, validasq. triremes,
Pellentes tumidos victis è mœnibus hostes;
Vt semper foueas, Hydrus rediuiua, Tarentum.
Hinc memor officij Princeps, licet vndique tuta
Vrbs foret, & centum terreret turribus æquor;
Munimenta tamen reparat, tormentaq. passim
Bellica disponit, geminas atque innouat arces.
Mox

Mox aperit vates Aragonia tela retundi
Gallorum aduentu. Moritur pater: obtinet hæres
Ferdinandus opes patrias; ſed deſerit exul
Imperium. parcit Carolus cedentibus vltro
Vrbibus; at contranitentes opprimit armis.
Parthenope trepidat, Regemq. admittit, & ornat
Stemmate non ſtabili. ſequitur poſtrema Tarantis
Vrbs triſte exemplum; ceditq. ea mœnia Gallis,
Quæ nuper Princeps reparans muniuit Iberis.
Sed Regem rurſus reuocat Sirenia pubes:
Ille redit, regniq. iterum moderatur habenas,
Auſpicijs, Conſalue, tuis. Huc vſque futura
Pande, Pater; reliquos Lethæo gurgite caſus
Obrue: præteritis doleat plebs noſtra ruinis;
Ventura haud timeat; mœſtos ne tranſigat annos
Vſque ſuos; patresq. gemat, ploretq. nepotes.
Sed quæ vis reprimat ſacrorum oracula vatum,
Quos Deus exagitat, ſubitosq. accendit in æſtus?
Iam patrium feruere ſinum, iam proxima cerno
Littora ſub claſſe hoſtili, & ſub remige condi.
Nec ſolum ratibus pontus, ſed milite ſæuo
Obruitur tellus; totosq. effuſa per agros
Illuuies, miſera deuaſtat cæde colonos.
En vltro audaces Veneti ſocientur Iberis;
Atque quater ſenas oneratas Marte triremes
Expediunt, reliquosq. citi graſſantur in agros.
Non tulit hoc facinus ſegni torpore TARENTVM,
Emiſitq. ſuos. quales cum ſepta leones
Venantum ſuperant, & in obuia tela feruntur,
Verbere contorquent caudas; auidiq. cruoris
Vngue viros lacerant, rapiunt & dente moloſſos.
Haud ſecus Oebaliæ pubis denſa agmina portis
Se fundunt; hoſtesq. ſibi nil tale timentes
Inuadunt: fert arma furor; dat robora virtus;
Et pariter creſcunt animis diſcordibus iræ;
Terribiliq. fremit præceps Bellona tumultu.

Sanguis

Sanguis vbique fluit; miseranda cadauera passim
Sternuntur; turbatq. oculos fera mortis imago.
Paulatim cedunt; vertunt mox terga ruentes,
Et classem repetunt Veneti; Neptunia proles
Insequitur: tandem sæuo è certamine cuncti
Intra vrbem reduces clauduntur: mille per agros
Cæsos, tercentum captos desiderat hostis.
Castra inimica gemunt; hilares ditantur opimis
Exuuijs ciues, augentq. ad bella vigorem.
Instaurant rursus certamina dira; nec vllus
Est sine cæde dies: cadit hinc, cadit inde vicissim
Indigena, atque hostis: tunduntur mœnia crebris
Tormentis; coelumq. quatit fera machina bombis
Horrisonis, mistasq. vomit cum sulphure flammas.
Cessant interea post regia funera cædes:
Nam Fridericus deuictos Marte cruento
Eijcit Italia Gallos: pacemq. refundit
Robore Consalui. pacatis omnibus, vna
Pugnat adhuc, seruatq. fidem Tanagræa propago,
Præsidiumq. fouet, quod iam gens Gallica nostris
Arcibus abdiderat. tandem pertæsa ruinæ
Murorum, longæq. famis (nam tergora ciues
Cocta boum, cæsosq. canes, olidosq. coacti
Mandebant mures) Venetis nunc dedere castra
Constituit, nunc ense mori. sententia tandem
Occurrit melior; Regi vt se dederet vltro
Optanti, externas iam dedignata phalanges.
Cedentes vltro victor complectitur Heros,
Munera muneribus cumulans. Hos carmine vates
Successus voluit, tacitisq. aperire figuris
Ciuibus, effingens Aquilas super æthera vectas,
Victricis palmæ rostro prætendere ramos;
Pallidaq. arenti decumbere Lilia passim
Cespite; quòd nequeant Italis hæc germina campis
Efflorere diu, subitis excocta pruinis.
Bella renascuntur rursus maiora; tumultus

Insurgit

Insurgit grauior: nam, qui defenderat vrbes
Consaluus, nunc arma parat, nunc obsidet vrbes
Regis in exitium: Galli miscentur Iberis,
Obtinet & multas arces Namurtius hostis.
Rex fugiens primum Inarimen, mox Gallica supplex
Regna petit; moriturq. alienis aduena terris.
Extincti puerum retinet, nutritq. Geuerra
Arcibus Oebalijs clausum; quò tutior hostes
Effugiat, seruetq. patri post funera natum,
Et tanti generis sobolem. sed vota Tonantis
Quis mutet, fallatq. vnquam præsagia coeli?
En Consolaus obit numerosa classe Tarentum,
Ingeminansq. acies terrestri milite cingit:
Et quoniam boreale vrbis munimina littus
Nulla tegunt, nullæ defendunt prælia turres;
Illuc transmittit, subducto remige, classem
Dux alacer, terraq. vehit: Magnesida quondam
Vt traxere ratem, cum vellera fortis Iason
Aurea diripuit, temerauit & æquora pinu.
Nil tamen expauit pubes animosa Tarenti,
Pectore quæ munit, validis quasi mœnibus, vrbem;
Murorumq. minas clypeo prætendit, & armis.
Perfidus at tutor puerum deducit in hostem,
Hispanisq. vrbem tradit: quos fœdere firmo
Plebs fouet, Hesperios reges habitura perennes.
At puer infelix sinuosa per æquora vectus,
Finibus externis regitur male cognitus hospes.
Huc vsque est, Fortuna, tibi concessa potestas
Regnorum: quamuis nil sit Fortuna, nec vlla
Fatorum series; solus quòd cuncta gubernet
Arbiter Empyrei: Nam non curare, quod ipse
Feceris, aut curam dubiæ committere sorti
Summa est sæuities. sed nec mortalia sortem
Pectora concipiunt; animi si prouida virtus
Sceptra regat, dispenset opes, & iura ministret.
Talis vbique micat, qui nunc moderatur habenas

Orbis,

Orbis, & occiduos fines coniunxit Eois.
Succedit patri sed mox felicior hæres
CAROLVS, imperij teneat qui vertice pondus.
Hunc sequitur natus, FIDEI DEFENSOR, & horror
Bosphoridum, mundiq. decus, columenq. ruentis;
Cuius in obsequium nunquam Sol aureus astris
Permittit mutare vices: adeoq. patentes
Regnorum reperit fines, quocunque vagetur;
Vt non Austriacis splendoribus occidat vnquam.
Viue diu felix; & post tua funera Natus
Clarior exurgat, patris qui nomen honoret,
Augeat atque decus, tranquilla & pace fruatur;
Et secum Gallos mansuro fœdere iungat.
Hinc lacrymans luget funebri carmine vates
Quæ Sponsæ superanda manent certamina; sacro
Sanguine quam CHRISTVS, miseranda & cæde redemit:
Verborumq. ambage tegit discrimina rerum.
Vndique lugubres ærumnas, vndique bella
Præferet atra dies: sublimia quisquis anhelat,
Decidet in præceps: soluentur fœdera; luctus
Obruet innumeros; Nabathæo è cardine mundus
Effundet tenebras; totus nutabit & orbis
Sole sub occiduo. mortalia pectora fallet
Debile principium, finisq. horrendus, & ignis,
Qui dabit ingentes modico de fomite flammas.
Principibus miseranda lues super imminet; illos
Nam premet Omnipotens, capitali percitus ira.
Et tellus instar pelagi, quasi flatibus Euri
Concita, fluctiuagis quatietur motibus: æstus
Obruet & multos: portus, placidamq. quietem
Inuenient pauci: nam recto è tramite multi
Deuia signabunt vestigia. corda Tonantis
Sed prece mulcebunt iusti, gemituq. frequenti.
Inuadent Orientis opes nostra agmina lætis
Auspicijs: ingensq. bonum nascetur ab ipsa
Eluuione mali; quoniam procedet in hostes,

Incutietq.

Incutietq. minas, inuicto robore ferrum
Fulmineum vibrans coelesti Spiritus arce
Demissus, cuius vultu renouabitur orbis.
Tot tamen ærumnas abiget, cumulumq. malorum
Vir pius, & prudens; cui post ieiunia tradet
Plumbea mensa dapes: felix, qui tanta pusillus
Efficiet: cuius votis applaudet Olympus,
Et sacra purpurei lambent vestigia Reges.
Hæc vbi CATALDVS cecinit præsagia rerum,
Apposuit vatis nomen, clausitq. libellum,
Exteriusq. notas tales superaddidit Heros.
Hunc qui reppererit, Regi transmittat: at ille
Solus cum solo, fido quem pectore norit,
Incipiat rerum varios cognoscere casus,
Consulat atque sibi; nec tot præcepta salutis
Spernat: ni faciat, patrio viduabitur ostro.
Mox iubet acciri famulum longæuus Ibernus,
Cuius nota fides animi, concorsq. voluntas;
Atque ait: I velox venturæ noctis in vmbra;
Fide comes: squalensq. antrum, quod subiacet arci,
Quodq. sacris titulis PETRVS decorauit, & auxit,
Ingredere; & læuæ, quam respicit ara, columnæ
Effossæ has tabulas tuto munimine conde.
Hinc molem linias ex omni parte vetustam;
Ne scissura recens latebræ vestigia promat.
Atque ex aduerso Pueri effingatur imago,
Quales ætherea crebrò demittit ab arce
Omnipotens; dextro qui detegat indice librum.
Dixerat. ille citus domini mandata capessit,
Mox ait: Vnde sacros quisquam reperire recessus,
Aut quando poterunt, vllo sine teste, nepotes
Ad latebras aperire vias, & codicis huius
Arcanas spectare notas, Regiq. legendas
Tradere, & occultæ præsagia discere sortis?
Huic contra Antistes: Veniet, labentibus annis,
Aetas, cum Raphael nostri custodia templi,

Aeditimusq. vigil tabulas deducet in auras.
Huic ego ter monito, ne somnia vera repellat,
Ostendam latebras: & mox certamina pandam,
Quæ subeunda viro. Video iam plebis anhelæ,
Atque Sacerdotum cuneos penetrare sub antrum,
Et ferro reperire locum; quò carmina tandem,
Abdita tot lustris, toto inspiciantur in orbe.
Sed Rex, ficta putans diuina oracula coeli,
Atque Tarentinas technas; sub vincula trudet
Infelicem hominem, & multis cruciatibus anget.
Quem mea pendentem demissa è cannabe furtim
Dextra tenet; fulcitq. pedes; ne pondere molis
Obrutus ipse suæ, libratus in aere sæuum
Tormenti perferre genus cogatur iniquè.
Hæc vbi perfecit Præsul; quòd fida Senatus
Pectora, quòd populi constantia corda videret;
Pertæsus tandem vitæ, coelestia solum
Atria suspirat; solum coelestibus ardet
Delicijs vesci. Nec tot conatibus æger,
Cuius membra diu depascitur arida febris,
Absentes latices muscosi fontis anhelat;
Quot lacrymis inhiat Præsul, se carcere molis
Corporeæ exsolui, socijs coelestibus addi;
Præsentiq. frui Domino; quem sæpe fatigat
Sollicitis precibus, fundens hos pectore questus.
Quid, Pater Omnipotens, resides producor in annos?
Quos pariunt fructus hæc ocia pigra senectæ?
Non mihi terrenas sedes meruere triumphi,
CHRISTE, tui; non hanc animam fecere beatam
Diuitiæ, plebisve fauor, vel pondera mitræ.
Te petimus: tu solus habes, quod viscera nostra
Impleat; & sine te nullos terrena sapores
Hæc pariunt: ad te præcordia nostra creasti;
Nullaq. erit requies, in te nisi vota recurrant
Cordis; & æterno sociemur fœdere tecum.
Quid mihi cum terris? astra; astra, atque ætheris alti,

Maieſtas me ſacra vocat: niſi præuia febris,
Morborumq. lues perimat; ni ſtamina vitæ
Præcidat lethale malum; quare ardor amoris
Aeterni, & nunquam, heu nunquam exaturata cupido
Nectaris ætherei moribundi corporis artus
Non ſoluat, lætamq. animam tranſmittat ad aſtra?
Ah quoties pro te volui per tela, per ignes
Irruere, & medio metam contingere curſu;
Nec licuit mihi poſſe mori, & me ſubtrahis hoſti.
Tentaui ſacros nemorum penetrare receſſus;
Vt curæ inſomnes, & crebra incommoda vitæ,
Et violenta fames cedentia robora ſenſim
Hauriret, cupidoq. mori præcluderet auras;
Nec pateris. Iam rumpe moras, da membra feretro;
Da coelo hanc animam; da te mihi, cætera temno;
Vileſcunt ſine te centum ſi congeris orbes.
Audax ſi nimium videor; tu pectora flammis
Accendis; tu corda moues; tu viſcera tollis
Ad Superos, Superumq. dapes, & vina propinas.
Ah robur nimium viuax, ah dira ſenectus,
Quæ moribunda mori renuis; quæ proxima letho
Lethi ſacra fugis conſortia. vita recede;
Mors optata veni: languentis reſpice tandem
Vota, DEVS, gemitusq. pios, lacrymasq. cadentes.
Heu quam difficiles, animæ ſi credis amanti,
Sunt in amore moræ. Tales geminabat Ibernus
Ore preces, crebroq. oculos tollebat in aſtra;
Plenius vt ſpeciem contemplaretur Olympi.
Decreſcunt vires; coeleſtis flamma medullas
Exurit, ſenioq. graues depaſcitur artus.
Imminet atque dies, qua ſe ſe ſubtrahat orbi
Antiſtes felix; auido quam corde ſalutat,
Occurritq. hilaris. qualis properaret amator
Ad ſponſæ thalamos; ſitiens ſeu ceruus ad vndas.
O diſcors hominum ſtatus! ſectator honeſti
Appetit inferias, & toto pectore mortis

Iura ſubire caput : ſed qui ſub crimine ſordet,
Fœdaq. lethalis retinet contagia culpæ,
Nil magis exhorret : canit ille in limine lethi;
Hic gemit : ille etenim reperit poſt funera vitam;
Hic pauet æternas gelida formidine pœnas.
Abſentis ſic ſponſa viri quæ fœdat honores,
Coniugis aduentum metuit : quæ caſta iugales
Seruauit thalamos, auido vocat ore maritum.
Sparſerat interea velox prænuncia luctus
Fama; inſtare diem, quo ſpes fidiſſima noſtri
Occubet, & natis adimant fera funera patrem.
Conueniunt proceres, quos ardua cura Senatus
Exercet, properantq. viri, quos Præſul Ibernus
Fecerat æditimos templi, populiq. magiſtros.
Vndique crebreſcunt gemitus; longa atria luctu
Replentur; taciteq. ſuas lacrymabilis Echo
Confundit voces, atque vltima verba reflectit.
Vnaq. cunctorum vox eſt : Vbi cara recedens
Pignora deponis? cui nos, pater optime, linquis?
Heu quos tot lacrymis, tantisq. laboribus olim
Edideras vitæ meliori, deſeris vltro
Hoſtibus in medijs, dirus quos mittit Auernus
In noſtrum exitium. tua quis poſt funera peſtes
Tartareas abigat, patrias defendat & arces?
Quos, abeunte Petro, proſtrauit blanda voluptas,
Et luxus petulans, fugitiua & gaudia vitæ;
Innocuosne ſinent recidiuæ crimina culpæ
Si, Pater, abſcedas? cecidit qui ſæpe, recurrit
Ad ſordes iam ſponte ſua: qui languida crebrò
Membra trahit, primo cedit certamine morbi,
Succumbitq. malis. An te ſubducit ab orbe
Aſtrorum immortale decus, Superumq. perennes
Deliciæ? tua iura tibi, pater, integra ſeruat
Omnipotens : merces tibi tuta eſt; gaudia coelo
Firma manent. maiora etiam tibi commoda quæris,
Dum viuis; creſcuntq. mora tibi lucra talenti;

Dumq.

Dumq. alijs prodes, tibi proficis. Aspice natos;
Et munus ne sperne patris. Si nomine tanto
Indignos nos forte putas; ne desere Pastor
Mactandas pecudes, sacro quas sanguine lauit
Arbiter Empyrei, dira quas cæde redemit.
Inter tot lacrymas hilaris sua gaudia miscet
CATALDVS; funusq. suum blandi instar oloris
Cantat; & impauido suspirat pectore coelum;
Talibus & mulcet mærentia pectora dictis.
Quid gemitus tanti, ac lacrymæ prope funera patris,
O nati, ò ciues; non me genuere parentes
Aeternum: morior mortalis: tempore vixi
Sat longo; vestræq. habuit me cura salutis
Sollicitum, timidumq. diu. dum profuit vrbi,
Et vobis hæc vita, DEVS contexuit annos,
Produxitq. moras senio. non indiget ætas
Vestra hæc excubijs patris: non postulat infans
Iam grandis nutricis opem: non vbera sugit
Agnus iam maior, virides sed pascitur herbas.
Si vobis videor iam successurus Olympo,
Cur læta infausti violant præsagia questus?
Sin metus exoritur, ne vos Acherontis alumni
Decipiant rursus; neu quis scelerata magister
Dogmata promulget, ludatq. hac arte nepotes;
Heu languet spes vestra nimis: nec corda Tonantis
Sentitis quantus feruor succendat amoris;
Et quantæ huic sit vestra salus, & commoda curæ.
Verum hæc vt certis pateant incendia signis,
Mortalis vitæ supremo in limite pandam
Non audita prius, quæ mox celebretis in æuum:
Sera vt posteritas felicia dona priorum,
Agnoscantq. suas venientia secula sortes.
Huc veni non sponte mea; sed præsul Ibernis
Finibus egressus peregrina iu veste sepulcrum
Dum veneror Domini, & sacra incunabula, syluas
Dum cupio, & nemorum tacitos habitare recessus;


Ipſe DEVS (proh rarus amor) rutilantior ipſo
Sole renaſcenti, facilisq. in carne videri
Aſſumpta, & magna Superum comitante caterua,
Venit ad affatus noſtros, atque intulit vltro.
Nec Syriæ deſerta tibi, nec Meltridis arces
Permitto: alterius gentis te cura repoſcit.
Inter Iapygios fines vrbs clara TARENTVM
Eminet: hanc PETRVS Stygio de vortice raptam
Dat mihi; ſed Dæmon repetit, rurſumq. retorquet
In læuam: tu dexter ades, veteresq. tyrannos
Eijce; vt hos faciles populos moderere per æuum,
Aeternumq. mihi ſerues. hic templa Sacerdos
Inuenies, hic paſtor oues, hic ſtemmata præſul;
Dux ſectatores, natos pater, aduena ciues;
Vt ſic perpetuo teneat mea iura Tarentum.
Dixit: & ad voces ſonuit pleno ore, TARENTVM,
Orbis; & expreſſum geminarunt ſidera nomen.
Ergone quos hoſtes adeo dilexit, amicos
Oderit Omnipotens? dira quos compede ſoluit,
Cum meruere mori, poterit damnare redemptos?
At veſtrum eſt, ſcelerum penitus præcidere cauſſas,
Et vitæ ſeruare modum, quem dogmata CHRISTI
Præſcribunt, nullasq. nouas admittere leges.
Credo etenim poſtquam hos cineres teget vrna ſepultos,
Affore, qui tentent inter mea ſemina ſentes
Spargere, & ad ritus vos rurſum vrgere prophanos,
Aut ſaltem violare Fidem. ne credite verbis,
Quæ munita dolis mendax audacia finget.
Exturbate lupos, quamuis videantur ouile
Tutari, & fidis defendere ſepta moloſſis.
Talis erit, quiſquis noſtris noua iura proteruus
Inſeret; aut veteres penitus peruertere leges
Tentarit grauiore malo. depellite peſtem
Hanc celeres; clypeumq. Fides, atque arma miniſtret.
Excidat & nunquam, quod nunc hac voce ſuprema
Cunctis præcipio. ſi mox rediuiuus in orbem

Ipſe

Ipse iterum redeam; vel si descendat ab astris
Angelus, atque aliter doceat, quàm PETRVS; vtrumque
Exagitate odijs, rigidoq. expellite vultu.
Hanc solam seruate Fidem; vestriq. nepotes
Hanc discant, foueantq. simul sacra fœdera pacis,
Et reuocate animo lacrymas, vigilesq. labores,
Quos ego sustinui, Stygius ne irrumperet hostis
Rursus in Oebalias arces; geminoq. triumpho
Altius erigeret coelo non flexile cornu.
Post obitum, patris exanimum tumulate cadauer,
Quo stat IOANNIS Galilæi picta sacello
Effigies, radijs quam Sol collustrat Eois.
Relliquias, cineresq. meos nulla eruat ætas,
Nullus amor populi: dulces nec rumpite somnos;
Donec ab æthereo descendat cardine Iudex,
Præmia qui reddat, qui crimina vindicet orbis.
Ille inter proceres hæc vltima verba locutus,
Ad superos inhiat thalamos, defixus in vno
Obtutu, gemituq. auido suspirat Olympum.
Paulatim languet circum præcordia virtus;
Caligant oculi; rarescit anhelitus; artus
Extremi frigent: roseus sed purpurat ora,
Depulso pallore, color: ceu robora lampas
Fortius accensis auget moritura fauillis.
Decedit tandem felix, Dominoq. vocanti
Iungitur, & numero cumulat maiore beatos.

FINIS LIBRI QVINTI.

BONAVENTVRAE MORONI CATALDIADOS LIBER SEXTVS.



Pargitur interea tanti prænuncia casus
Fama loquax, mœstisq. replet clamoribus vrbem.
Pullus vbique color Patrum subsellia vestit,
Confunditq. togas: nullos fert purpura fasces:
Informi squallore riget commune theatrum:
Stat sine lite forum: namque hæc concordia luctus
Discordes animos ingrato fœdere iunxit.
Quemlibet agnatum credas lugere cadauer;
Non aliena queri: quales Memphitidos vrbes
Aegypti, cum quæque domus sua funera luxit:
Nec cohibet sua verba dolor: laxantur habenæ
Questubus: ingeminat funebris nænia cantus
Lugubres: vrbs tota suo non ficta parenti
Præfica pertundit ferali murmure coelum.
Quid nunc sperandum? cecidit, quo stante, ruinas
Nunquam pertulimus: perijt, quo sospite, casus
Aduersi nunquam patrios tetigere penates.
Nunc armenta lupus repetet: nunc agmine Dæmon
Tartareo rapiet viduas rectore phalanges.
Vna fuit nobis quantum modo vita salubris,
Tam mors vna nocet. miseram defendite plebem,
O Superi; per vos aliquam sperare salutem
Si licet, extincto iam Præsule. grande tulistis
Auxilium dudum nobis, patriæq. ruenti

Huius in auſpicio: ſed quid peritura dediſtis
Munera? ſi nos heu bella immortalia vexant,
Cur breue ſubſidium? quis nunc ſacra pondera rerum
Suſtineat? quis oues cœleſti gramine paſcat,
Auertatq. lupos patri ſucceſſor Iberno?
Hæc triſtes paſſim geminant per compita ciues,
Conueniunt tandem ſpacioſa ad limina templi,
Quò pignus duxere ſacrum, comitante Senatu,
Egregij proceres, cleri & mœſtiſſimus ordo,
Triſtia ceratis decorantes funera tædis.
Membra decora iacent nigro compoſta feretro,
Purpura quod veſtit, patrio bis murice tincta,
Infulaq. & ſacræ veſtes, quibus ante Sacerdos
Obtulerat ſua vota DEO: prope culmina ſurgit,
Atque tholos templi trabibus conſtructa quaternis
Machina, quæ totidem validis ſuffulta columnis
Candida multiplici recipit funalia gyro.
Inferijs tandem ritu meliore peractis,
Aſtitit in medijs cœtu ſublimior omni
Illuſtri pietate ſenex: paulumq. moratus
Nunc cœlum ſpectans, nunc pondera ſacra feretri,
His demum dictis funeſta ſilentia rupit.
Quò me, Sancte, vocas? lacrymoſo in funere ſiſtam,
Subſequar anne animam fugientem? lumina figam
Huic cineri? an potius te iam ſuper æthera vectum
Contempler? meliora ſequar; melioribus addar
Cœtibus; & triſti ſubducam funere ciues.
Tu nunc permiſtus Superis, quæ præmia dudum
Sperasti, iam tutus habes; & ſidera calcans,
Sancta refulgenti veſtigia figis Olympo.
Iſthinc hoſtis abeſt, tecum qui prælia tentet,
Et mors, quæ perimat; ſeu qui tua membra ſatelles
Excruciet: iam cuncta iuuant, dant cuncta ſalutem,
Nulla fames iam, nulla ſitis; procul æſtus, & algor,
Morborumq. lues. iſthic pleniſſima merces
Cælicolas reddit ſic omni ex parte beatos,
Vt nil

Vt nil quod cupiat, nil quod desideret vltra,
Humanæ mentis penitus satiata cupido
Inueniat, nequeatq. sua iam sorte reuelli:
Nam parit æternas non ficto copia cornu
Delicias; seseq. DEVS diffundit in omnes,
Quis referat quàm dulce loqui, quàm dulce morari
Inter sidereas acies? quis pectore verset,
Quales primæui proceres, quiue ordo Senatus,
Purpureusq. chorus, lauit qui sanguine lænas?
Quàm grauis incessus patrum, quibus infula cinxit
Tempora, vel statuit sacros in plebe magistros
Ingenium viuax, & cognita iura Tonantis?
Affluit ò quot diuitijs, quæ commoda carpit
Qui patrias contempsit opes, seq. abdidit vltro
Aut inter syluas, aut tecta horrentia claustris!
Quis memoret lepidosq. iocos, hilaresq. choreas,
Quas nitidi celebrant pueri, innuptæq. puellæ,
Floribus æternis decorati, & nectare crines?
Secum te cupiuut omnes, sociumq. salutant:
Tu cunctos recipis; tutis & gressibus ambis
Cœlestes cuneos; & tempora duplice cingis
Laureola, multosq. vides post terga sequentes.
Felices lacrymæ, fortunatiq. labores,
Qui tantum meruere decus, tanta ocia, nullis
Deturpata malis: frangit ieiunia nectar,
Ambrosiæq. dapes: abrupta silentia noctis,
Et vigiles curæ æternam genuere quietem.
Pacem parturiunt pugnæ, quæ fœdera nullis
Diffidijs violet, nullos formidet & hostes.
Exilium patria est, pelagus variabile portus,
Tempus edax æuum, mortis timor arrha salutis:
Visio succedit Fidei; Spem tuta repellit
Merces: solus Amor crescit sociatus amori.
Hæc tu regna petis moriens, hæc commoda sentis;
Sed quò decedens, genitor, tua pignora dono
Solaris? qua, Sancte, tuum mercede TARENTVM
Compensas?

Compensas ? pro te miseræ quem sufficis vrbi ?
Hos capimus læti cineres : hæc ossa sepulcro
Condimus exculto ; veniens quod forsitan ætas
Miretur ; titulisq. tuis hæc templa dicamus .
Sed quis tutor erit patriæ ? quis comminus arces
Has teget, & tanti seruabit Præsulis omen ?
Præsul erit, quisquis tibi mox succedet ; at impar
Virtuti, meritisqr tuis . stant cuncta ruinis
Proxima, ni foueat natos tua cura perennis .
Si mortalis adhuc, orbis habitator iniqui,
Tanta Phalantææ præstabas commoda plebi ;
Quid nunc sperandum, cum proxima sidera cernis,
Perpetuoq. æuo vitam metiris, & annos ?
Maiorem maiora decent : demittat Olympo
Nunc mens æthereos rores, Dominumq. precetur
Maiore obsequio : nostraq. auertat ab vrbe,
Quas timet ærumnas ; seruetq. cadauer in æuum
Robora, quæ viuens tenuit ; geminoq. TARENTVM
Subsidio crescat ; tellusq. & sidera coeli
Mirentur, laudentq. tuos, Pater alme, fauores .
Tu modo, plebs tristis, lacrymantes exue vultus ;
Funeribusq. pijs lætissima concipe verba :
Caussa doloris abest ; viuit fælicius heros,
Quem luges . rebusq. tuis vigilantius astat .
Vix ea fatus erat, cessant cum murmura luctus ;
Imminuitq. dolor lacrymas, gemitusq. retundit ;
Additur & moestis animis fiducia maior .
Hinc patris exanimi corpus, sacrumq. feretrum
Tangere contendunt, atque oscula figere membris
Aerumnisq. suis deposcunt dona salutis .
Hos inter properat genitor ; quem sarcina nati
Grata premit, funesta tamen : nam matris ab aluo
Infans perdiderat miserum tenus inguine corpus .
Nulla inerat membris virtus ; cutis arida circum
Ossa trahebatur, quà se diffuderat atrox
Pernicies, septenne malum : vestigia vitæ

Nulla aderant; reptansq. puer per tecta parentum
Innixus cubitis, vix mortua membra trahebat;
Infelix monstrum: qualis ferus yngue cerastes
Cornipedum elisus medius, dum robora vitæ
Colligit in partes superas, secumq. reuinctum
Semicadauer habet; timidusq. per inuia reptans,
Vix se ferre valet toto sibi corpore dispar:
Hoc igitur pondus genitor prope tigna feretri
Deponens, tales effundit pectore questus.
Si pietas tangit Superos; si viuus in astris
Defendis patriam melius, curaq. parentes
Nobiliore foues, Præsul; quibus ante solebas
Reddere defunctos noua per miracula natos:
Huc adsis, foueasq. hominem: qui pignoris artus
Semineces gestans, luctuq. oppressus acerbo,
Semiparentis habet nomen. tu redde precanti,
Quæ desunt: non magna peto. mortalibus ægris
Permistus, maiora dabas. non bella sepulcris
Infero; nec mortem lacrymis, precibusq. lacesso;
Nec tibi iam vitæ reddenda cadauera sisto:
Nam puer infelix (quamuis non corpore toto)
Palpitat; atque inter fines sub lite relictus
Ambiguæ sortis, veniet quocunque trahatur
Auspicijs, Pater alme, tuis: vel viuat vbique,
Vel pereat totus. si noxia culpa meretur
Has poenas; matris quidnam peccauit in aluo
Infans? si nostrum scelus est; tormenta parentes
Sustineant. si sola DEI tot damna voluntas
Ingerit, hæc ratio est, vt tandem dona salutis
Accipiens natus, totum diffundat in orbem
Præsidium, CATALDE, tuum: precibusq. piorum
Spem certam incutiat, nullis te defore votis.
Hæc ait; & lacrymans puero sacra membra, fideli
Obsequio, tangenda dedit. Proh rara potestas!
Viua per arentes virtus diffunditur artus:
Corpus vbique viget: capiunt sua robora nerui;

It roseus

It roseus per membra color; cupit ille moueri,
Et potuit, temploq. hilaris spatiatur aperto.
Hoc opus, exuperans naturæ robora, multos
Allexit, quò quisque sibi præferret Ibernum
Tutorem, vitæq. ducem. primusq. cucurrit
Ciuis inops, quondam felix Argentius, vrbi
Cognitus arte prius; quoniam carpenta magister
Fecerat insignis: notus modò sorte sinistra:
Arida namque omni viduarat brachia motu
Vis occulta mali: morbo nec pharmaca prosunt,
Nec cœli implorata diu clementia: crebrò
Nam medicas tentarat opes, & templa per vrbes
Externas auidis lustrauerat aduena votis.
Despondens animum tandem, longæuus auitis
Desedit tectis, mortis medicamen anhelans,
Quæ sepelit cunctas vno sub funere pestes.
Sed Superi meliora parant: nam proxima cernens
Portenta, & recolens tantarum exordia rerum,
Suscitat extinctæ fidei fomenta; timorem
Deijcit; atque animum votis melioribus vrget.
Mox ait: Hæc igitur tardæ mihi caussa salutis:
Hoc & consilio voluit Regnator Olympi,
Vt me nullius curaret dextera; nullus
E Superis præberet opem: medicina salutis
Hinc fuerat poscenda mihi: potuiq; mereri
Damnæ moræ; quoniam ciuis peregrina petebam
Auxilia; & panes possem cum seruus heriles
Esse domi, micas aliena per oppida demens
Quæsiui; ac semper spe sum delusus inani.
Nunc te, Sancte, peto supplex; tibi comminus asto:
Vel me terra tegat; vel, si mihi funera cœlum
Prorogat, arentes foueat tua dextera neruos;
Reddat & exhaustas annoso in corpore vires.
Hæc ait; & subitò sentit per brachia robur
Diffundi, venasq. suum reuocasse cruorem.
Miratur; proceresq. vocat; cupidusq. videri
Integer,

Integer, attollit duplices ad sidera palmas:
Mox per inane manus vibrat; motusq. per omnes
Exercet, veteriq. cutem rubigine tergit.
Cum tamen accepto cuperet pro munere grates
Reddere, & æternum venerari numen Olympi
Maiore obsequio; medio de funere surgens
Sic anus orsa loqui. Me, me nunc cernite, ciues:
Maius opus refero: mecum melioribus egit
Auspicijs, maiora dedit mihi commoda Præsul.
Elinguis fueram, quales vix æquora pisces
Parturiunt; nunc ecce loquor; nunc prima profari
Verba queo, primasq. rudis componere voces.
Surdior accessi scopulis, tonitruq. furentis
Aetheris haud vnquam sensi, bombosq. minaces.
Quis credat? iam cuncta sagax intercipit auris
Murmura; & ignotos didicit mens carpere sensus.
Quid reddam? quæ dona feram? quæ munera promam?
Me, si non renuat, dono: monumenta recepti
Muneris hæ seruent aures, hæc lingua loquatur;
Et celebrent seri patrum pia vota nepotes.
Has inter voces, hæc inter gaudia, littus
Pinxerat Eoum tacitis nox vecta quadrigis;
Phœbus & occiduis rapidè se merserat vndis:
Cumq. Sacerdotes, non vltima verba parentis
Obliti, sacras cuperent tumulare sacello
Relliquias, nuper sibi quod delegerat Heros,
Emoriens; pia turba vetat, prohibetq. Senatus;
Donec marmorea sculpatur mole sepulcrum
Arte laboratum Phrygia: quod Præsule dignum
Extet opus, tantæq. vrbis non viribus impar.
Non eget interea bustis imputre cadauer:
Nulla etenim serpit tabes, & nulla per artus
Exanimes penetrant contagia: vincit odores
Thuris Achæmenij sacro quod corpore manat.
Vix igitur tandem nocturno sidere pulsus,
Abscedit populus; templiq. ad limen ahenas

Inferit æditimus vectes, vigilesq. feretri
Custodes retinet: lacrymis tamen obtinet vnus,
Cuius membra diu, solida compage soluta,
Motibus vrgebat tremulis vis tabida morbi,
Vt templo inuigilans, precibus constantior instet.
Finibus hic patriæ cedens Samnitidos, errans
Aduena quærebat medicis vtcumq. foueri
Auxilijs, frustra: namque immedicabilis angor,
Et violenta lues totos inuaserat artus.
Adfuit at casu, cœlesti aut numine ductus,
Funeribus; spectansq. hilaris miracula rerum
Tantarum, sperauit opem, precibusq. poposcit;
Non tamen obtinuit. dilato munere, pectus
Nil fluitat; languet nec spes animosa, sed instat
Fortius, & gemitus renouat, lacrymasq. refundit;
Atque ait. Ergo nocet misero, Sanctissime Præsul,
Non esse indigenam? patriasne amplecteris arces
Tantum? demulcet solos tua dextera ciues?
Hospitis exhorres nomen? Iam viribus auctus
Aethereis, fulges spectabilis incola cœli:
Sectare ergo DEVM, moresq. imitare Tonantis:
Namque fauet cunctis poscentibus: allicit vltro
Muneribus, patrioq. sinu complectitur omnes.
Hoc mihi de te sperandum, qui sidera cernens
Eminus, & mortalis adhuc, Rachuense relinquis
Sponte solum, patriosq. lares; atque aduena ditas
Hesperios fines, Lacedæmoniumq. Tarentum.
Hæc ille ingeminans, Domini pia viscera tandem
Euicit: subitoq. viri per membra cucurrit
Dissociata vigor, reparat qui robora neruis,
Consolidatq. artus sensim, motusq. priores
Corrigit, & proprios naturæ vertit in vsus.
Atque ea dum fierent; medium conscenderat axem
Nox somni fœcunda parens, vmbræq. silentis.
Tunc templi patuere fores; &, sponte reflexo
Cardine, cesserunt vtroque ab limine postes:

Perq. vrbem ætherex visæ volitare phalanges
Discussere graues concinna voce sopores.
Accurrunt celeres, tanta ad miracula ciues,
Atque auidi dum facta rogant, dumq. aduena texit
Historiæ seriem, nomen celebratur Iberni;
Personat atque hymnis templum: nec funera quisquam,
Inferiasue patris; læto sed murmure credat
Excubias esse Angelicas, Superumq. choreas.
Talibus obsequijs redimunt dispendia noctis.
Vixq. exorta dies primas dimouerat vmbras;
Vix Aurora suis insederat alma quadrigis,
Cum properat peregrina manus, quæ proxima nostris
Oppida parua colit muris: hanc aduocat vltro
Fama loquax; videat quò tam venerabile funus,
Et sacri portenta viri. Sed prima cucurrit
Femina, cui dudum miseræ furibunda phrenitis
Abstulerat sensus: sed, ne foret illa perennis,
Parua dabat menti crudelis fœdera morbus.
Hæc medicas sibi quærit opes a Præsule; & vltra,
Quàm possit medicina, petit. Si postulat, inquit,
Præteritum vitæ crimen, moresq. priores,
Vt crucier; da, Sancte, precor, me corpore toto
Diuelli, da mente frui. me febris anhela
Exurat; me languor edat; me tormina vexent;
Deuoret & macies; fœdent contagia; pallor
Deformet vultus; nullæ dent fœdera pestes:
Hac mercede tamen, mentis ne langueat ardor;
Nec sua nobilior deperdat robora virtus.
Dum tabent artus, animus suspirat Olympum,
Agnoscitq. nefas, Dominiq. auertere tentat
Vindictam, aut minuit Stygias patientia flammas:
At, quando exagitat præceps insania mentem,
Infelix, tanquam furiali percitus œstro,
Irruit in Superos; lacerat sibi mordicus artus;
Sæuit & in reliquos; nec se, nec cætera noscit.
Sic effata silet; rumpitq. silentia rursum,

Vi compulsa mali: confundit munera sensus
Insurgens iterum morbus: furor omnia versat;
Perq. oculos, vultusq. ferox exæstuat ignis.
Et Bromio correpta, minus Teumessia Thyias
Desæuit quondam: nec tanto efferbuit æstu
Cadmeis, miserum necuit cum Penthea, mater.
Illa furens grauius, violento robore templum
Turbasset; penitusq. sacri ornamenta feretri
Detraxisset humi: vinxit sed turba furentem;
Multipliciq. pedes nodo religauit, & vlnas.
Ecce autem, tali sæuit dum femina vultu,
Cælestes Antistes opes demittit; & omnes
Componit motus animi; mentisq. tenebras
Discutit; & stabili tranquillat fœdere sensus.
Illa redit; qualis quondam Cumæa sacerdos,
Debacchata diu, cum sese è pectore vatis
Excussit Phœbus, mentisq. elanguit ardor.
Vt depulsa videt rabidæ contagia pestis;
Fronte hilaris, tenuiq. genas suffusa rubore,
Soluite me, dixit: vinclis melioribus artus
Deuinxit Præsul; nexu meliore furores
Repressit morbi: medicas agnoscite vires.
Plura loquebatur: sed non procul inde tumultus
Exoriens, medio trepidam sermone repressit.
Nam pater exultans, sacram clamoribus ædem
Oppleràt; puerumq. manu tendebat in omnes,
Exclamans: Portenta pius maiora Sacerdos
En offert nostris obtutibus, editus infans
In lucem fuerat cæcus; patriq. dolores
Ingeminans, miseram lugubri murmure vitam
Ducebat, matri parienti posthuma proles:
Cur tamen heu viuat, cæli quem sidera, & orbis
Forma latet, Solisq. decus, rerumq. colores?
Hunc ipse è viduis laribus, quos paupere cultu
Massafrense solum refouet, prope sacra feretri
Pondera deduxi, quò figeret oscula membris

CATALDI, votisq. patris consurgeret infans
Incolumis. dum vota igitur, dum pectore toto
Fundo preces, sacro penitus perfundor odore:
Quem non Idalijs flores, non thura Sabæis
Inspirant, Indis nec cinnama forsan Eois.
At puer interea læto clamore parentem
Excitat, & lumen præfert, oculosq. nitentes.
Nunc agite, & mecum miracula pandite, ciues:
Concipite & laudes, tanto quas Præsule dignas
Efficiant moresq. patrum, pietasq. perennis,
Et non degenerum succedens cura nepotum.
Hæc ille: atque eadem festiuis vocibus omnes
Acclamant. sed sacra cohors, atque agmina Patrum
Præsulis alterno texunt has carmine laudes.
Salue sancte Pater, custos fidissime nostri,
Astris, & cælo iam reddite: busta parentis
Saluete, & sacri cineres; quibus indidit auctor
Naturæ humanas superantia robora vires.
Qua te laude canat chorus hic? quo thure vaporet?
Qua prece sollicitet? vincunt tua nomina laudes,
Dona preces, membra & fragrantia thuris acerras.
Si meliora petis, te nostra silentia laudent;
Te tua sollicitet pietas; tibi thura ministret
Intemerata pium, purgato crimine, pectus;
Puraq. tranquillam, seruantia viscera mentem.
Interea quidam, fauces cui struma premebat,
Sparserat & totum sanie fera pustula corpus,
Vix primas fudit lacrymas; vix prima poposcit
Munera; cum sentit præsentia pharmaca cæli.
Horrenda euomitur tabes; fugit omnis ab omni
Parte tumor; reparatq. suos cutis æqua colores.
Vt videt incolumem sese, contendit apertis
Postibus irruere, & morbos simulare priores.
Ah pudor: est ciuis. patriumq. extollere numen
Qui mage debuerat, malè grato pectore tentat
Abdere dona Patris, furtimq. illudere cælo.
Quid

Quid ſtruis infelix ? tanto pro munere grates
Has reddis ? ſi morbus edax, atque vlcera proſunt,
Si non grata ſalus, Sancti quid, ſtulte, petebas
Auxilia, & ficto vexabas murmure cælum ?
Sin dulcis tibi parta quies, pulchrumq. videri
Integra membra putas nuper ſtillantia tabo ;
Detege quod factum eſt : cæleſtia munera pande ;
Præſulis vt noſtri celebres cumulentur honores.
Ille moræ impatiens tacitè properabat ad ædis
Limina ; nec ſacrum audebat ſpectare feretrum.
O mens cæca hominum, ſortisq. ignara futuræ !
Venerat in medios poſtes ſceleratus : & vltra
Contendens efferre pedem, depellitur inde
Vi Superum. tentat rurſus prætexere fraudem,
Moliriq. fugam ; medioq. è limine rurſus
Excutitur, retroq. pedem cum voce reflectit.
Heu quis poſſit, ait, contendere tutus Olympo ?
Quiſue impune queat Superum præuertere mentem ?
Ille ego, qui nuper tota miſer vrbe vagabar
Obrutus vlceribus ; fugerem quò tædia vitæ,
Aerumniſq. meis emerem diſpendia victus ;
Vix templum ingredior, vix prima exordia ſumo,
Vix repeto ; Miſerere Pater : cum corpore toto
Exceſſit morbus, penituſq. euanuit angor.
Aſt ego, Tartareis forſan deluſus ab vmbris,
Vel potius ſuadente nefas hoc pectoris aſtu,
Abdere tantarum volui miracula rerum,
Et tentare fugam ; meritas ne reddere laudes
Cogerer ingratus, maiori atque vlcere dignus.
Dum tamen egrederer, rapuit me dextra Tonantis,
Excuſſitq. retro. præceps audacia rurſus
Me trahit ad limen ; rurſus vis inde repellit
Altera, detergens tetra caligine mentem.
Tandem agnoſco nefas, humiliſq. ad vota recurro :
Quiq. vnum texi, duo iam miracula cogor
Dicere, & ingratæ mendacia pandere mentis.

Hæc ille ingeminat, ſeſeq. redarguit vltro.
Sed non multa loqui potuit: namque hoſpes in ædem
Continuo irrupit, natam qui duxerat vna,
Brundyſio veniens: primoq. è limine cæpit
CATALDI celebrare decus, cæliq. fauores.
Quid iam te felix iactas, geniale Tarentum,
Quòd caput extulpris magnæ ſuper Ellados vrbes?
Quid mihi commemoras Pyrrhum, quidue alta coloſſi
Pondera, Neptuniq. lares, pueriq. Tarantis
Stemmata, iungentis patrios delphinas in vndis?
Archytæ tibi creſcat honos inſignis; & armis
Gloria parta tuis Seras percurrat, & Indos;
Brundyſijq. mei cunabula tempore vincas.
Quid tamen hæc? ſolus celebrem te reddit Ibernus,
Atque tuos auget Præſul Rachuenſis honores.
Hic Domini partitur opes: hic fundit inermis
Tartareas acies, regnat poſt funera; & vrbem
Præſidio æterno complectitur incola cæli.
Nec tua ſola fouet iam pignora; ſentit & hoſpes
Præſulis auxilium; capiunt & mænia Brenti,
Vrbis cui referunt noſtræ primordia ciues.
Cernitis hanc? (natam digito demonſtrat) ab annis
Primæuis caræ patitur diſpendia lucis
Infelix virgo: primò nam tabidus humor,
Delabens cerebro, maculoſa nube venuſtas
Turpat pupillas, fœdatque hac labe colores:
Mox creſcens violenta lues, corrumpit ocellos,
Atque adimit penitus radiantia lumina Phœbi.
Quid faciat genitor? ſpernit collyria morbus,
Et quodcunque poteſt medicis Epidaurius herbis.
Sic iacet illa diu, gemitusq. effundit inanes,
Et lacerat miſeri mœrentia viſcera patris.
Aſt vbi finitimas retulit vaga fama per vrbes,
Tantum obijſſe virum; multosq. in funere ciues
Exigua mercede precum reparaſſe vigorem
Extinctum poſt longa grauis contagia morbi,

Et deſperatæ callem reperiſſe ſalutis:
Fert animus natam mecum deducere, & omnes
Orandi tentare modos; quò lumina tandem
Reſtituat miſeræ venerabile nomen Iberni.
Et iam certa dies aderat; iam Phœbus Eoo
Littore monſtrat iter; thalamoq. excire puellam
Dum cupio; vocat illa prior læto ore parentem,
Proclamans: Exurge pater: properemus ouantes
Littus ad Oebalium: venientia lumina Solis
Iam video: tu rumpe moras: mihi proximus aſtat
Ingens ſiderea decoratus veſte Sacerdos;
Atque meos oculos caligine tergit opaca.
Has illa ingeminat voces. ego credere contra
Somnia confingi: nam, quæ meditamur amantes,
Cernimus, vt ſubitò noſtros ſopor occupat artus.
Illa iterum: Iam noſtra patent laquearia; cælum
Inſpicio; te cerno, pater. tunc comminus ambas
Pupillas nitido vidi ſplendore micantes.
Quid moror? obſtupui; &, nata comitante, Tarentum
Iam venio; vt patris pariter veneremur Iberni
Relliquias, & vota ſacras ſoluamus ad aras.
Vix ea fatus erat; ſubijt cum limina templi
Aduena, cui macies feſſos tenuauerat artus;
Abdiderat pectus barba horrida; texerat armos
Cæſaries: ſtat ſenta ſitu, turpiq. veterno
Informis facies: baculus veſtigia firmat
Corneus; intorti præcingunt ilia funes;
Nullaq. rugoſas defendunt tegmina plantas,
Nulla caput. tali cultu vixere per antra
Thebaidos quondam, quibus horruit orbis, & vrbes.
Huius in obtutum confeſtim lumina ciues
Obuertunt; cupidiq. rogant quò proruat hoſpes;
Quid veniat; quæ tecta colat; genus vnde parentum.
Ille petit Sanctum, lacrymisq. cadentibus vltro,
Oſcula figit humi, quò depoſuere feretrum:
Cumq. aliquid vellet deuoto corde profari,

Arreptus morbo proſternitur; atque cadauer
Exprimit exanimum: toto nam corpore motus
Deficit, & ſenſus: digitis tamen horret aduncis
Hinc, atque hinc protenſa manus; pupilla minaci
Obtutu cælum ſpectat; fœda ora, labellis
Ad læuam intortis, ſpumis labentibus albent.
Si flammam admoueas membris, ſi verbere corpus
Contundas, gladioue ſeces, nihil ille dolorem
Sentit: vita tamen totos funeſta per artus
Viuit adhuc; morti nec proxima, mortis vbique
Signa tenet: tanta eſt violenta potentia morbi.
Alciden fama eſt, crudeli hac tabe frequenter
Proſtratum, tanti quem non domuere labores.
Accurrunt ciues tanta ad ſpectacula: vulgus
Femineum fundit lacrymas: plebs inſcia credit
Extinctum: ſenſus reuocat ſed Præſul; & omnem
Protinus expellit rediuiuo è corpore labem.
Ille, vbi ſe incolumem ſentit, prouoluitur aris;
Quasq. poteſt Domino grates, quas debet Iberno
Perſoluit: mox cuncta oculis perluſtrat; & vltro
Compellans ciues: A me quid quæritis? inquit.
Gallia me genuit parui Rubiconis ad vndas:
Orbem luſtraui iuuenis; Solymosq. receſſus
Inſpexi; tandemq. viæ pertæſus, ad oras
Italiæ rediens, Gargani in vertice montis
Inuia ſaxa diu, patriæ contemptor, & orbis;
Incolui. demum ſacri vis improba morbi
Irrupit venis, totosq. cucurrit in artus.
Et dudum tam crebra lues, tam ſæua redibat,
Fœderis vt nullus eſſet locus. agmina teſtor
Cælicolum, me ſæpe altis è rupibus actum
In præceps iacuiſſe ſolo, quaſi putre cadauer;
Et mox excitum ſolitas ſubijſſe ruinas.
Et licet hæc alacris paterer, quia ſemita cæli
Rectior hæc ſemper viſa eſt: tamen obrutus annis,
Et morbo, nutu Superum compellor amicis
Prodire

Prodire è latebris, dulcesq. relinquere ſyluas.
Languida membra traho ſenſim per littoris oram
Adriaci; Bariq. lares, vrbesq. propinquas
Ingredior; cunctasq. miſer prouoluor ad aras.
Sed fruſtra quæruntur opes: nam, interprete caſu;
CATALDI. robur tam grandia facta manebant.
Cætera quid memorem vobis ſpectantibus acta?
Quid celebrem ſacri præconia nota parentis,
Cuius in obſequium ſua robora cedit Olympus,
Noſtraq. præcipiti firmat ſuffragia nutu?
Viuite vos memores Domini, totumq. per æuum
Relliquias ſeruate Patris: nanque ipſe reuertor
Gargani quærens latebras, notosq. receſſus.
Vix ea verba loqui potuit; cum tota moueri
Viſa domus, tumidis agitari & fluctibus æquor,
Et penitus duplici turbari cardine coelum.
Nox properata ruit; ruptisq. in nubibus aer
Igne micat vario: mox murmure ſæua minaci
Fulmina contorquens mortalia pectora terret.
Concutitur tellus: templorum culmina nutant,
Murorumq. minæ: trahitur ſuper æthera puluis.
Quòd ſi tecta labant, ſiſtunt nec mœnia ventos,
Quæ maris illuuies? pelagi quàm ſæua patentis
Tempeſtas? ꝑ aueant quàm certa pericula nautæ?
Quæ potuere rates, portus tenuere propinquos:
Sed geminæ nequeunt obſiſtere fluctibus alni.
Altera nam puppis Siculis remeabat ab oris,
Pectore quam valido pubes Tanagræa regebat.
Hanc prohibet gelido ſtridens Aquilone procella
Optatam ne tangat humum, nec littora Phebræ:
Altera longæuæ prope mœnia celſa Crotonis
Venerat; & ſubito, paribus iactata procellis,
Ducta eſt in medium pelagus. ſed diſpar vtrique
Exitus: hanc etenim Boreas demerſit; at illam
Deduxit reducem ſinuoſa per æquora Præſul.
Vnda Tarentinos obſederat vndique nautas.

Quid faciant? crescit rabies temeraria ponti;
Insurgunt fluctus audacius; imbribus horror
Augetur: coelumq. necem, pelagusq. minatur.
Carbasa demittunt socij maiora: Magister,
Ne latus excipiat moras violentius vndas,
Dat puppim ventis, mensumq. recurrit in æquor.
Dum tamen ille docet nautas, atque arte gubernat
Nauigium; Eois geminant de sedibus Euri
Perniciem, vexantq. latus: capit obruta puppis
Lethales vndas, rimisq fatiscit, & ima
Parte labat: rumpit tandem retinacula ferri,
Nauigioq. adimit clauum violenta potestas
Turbinis Aeolij. Nostra en spes vltima cessit,
Pallidus exclamat lacera de puppe Magister.
Nil iam tentandum, nisi ne moriamur in vndis
Tartareis: iaceam deserta inhumatus arena;
Dilaceretve pecus Neptuni corporis artus:
Hæc me damna iuuant, superas si tollar in auras,
Aspiciamq. Helicen propior, gelidosq. Triones.
Interea cohibete manus: date vela procellis:
Vincat lethalis Boreas: vesana triumphet
Tempestas: feralis hyems absorbeat omnes.
Sit sua cuique salus cordi; meditemur Olympum;
Portus vbi, & patria, & nullis obnoxia ventis
Aequora, vel coelum nimbis, vel tempora brumæ.
Hæc ille: huic contra Iuuenis, quem robur, & ætas
Fecerat impauidum: Si spes mihi nulla salutis,
Quid nocet aduersæ miserum contendere forti?
Vel vos præcedam moriens, vel viuus ab vndis
Eripiam clauum, puppiq. tenacius addam.
Hæc ait: & subito tumidum moriturus in æquor
Desilit. hoc quondam nutanti Curtius Vrbi
Præstitit obsequium: præceps cum corruit vltro,
Magnanimo deuectus equo, quà cæca vorago
Maior erat; moriens & se deuouit Auerno,
Vt sic Dardaniæ seruaret mœnia Romæ.

Contigerat

Contigerat vix ille fretum, cum protinus vndis,
Ac vi ventorum rapitur, nec cernitur vſquam.
Mirantur triſtes audacia pectora nautæ,
Præcipitemq. animum; gemitusq. ad ſidera tollunt.
At tandem memores extremo in funere, quantis
Portentis CATALDVS opem, ſubitamq. ſalutem
Oppreſſis grauiore malo, terraq. mariq.
Afferat: has promunt imo de pectore voces.
Iam tandem miſerere, Pater; votisq. precantum
Annue: nam robur, tumidas quod comprimat vndas,
Solus habes, ventosq. fuget, coelumq. ſerenet:
Nec pelago patiare mori, quos æquore merſos
Tartareo, æterni dudum ad conſortia regni
Seruaſti. Nec plura effati, nubila cernunt
Exceſſiſſe polo; pulſisq. minacibus Euris,
Succubuiſſe fretum. Sed quò iam naufraga puppis
Tendat, cum nautis claui moderamina deſint?
Perfice, Præſul, opus. nunquam paritura ſalutem
Quid refert conceſſa ſalus? quid munera vitæ,
Ni vitam redimant? nam nec felicior aura
Prodeſt; ſi deſit, quod turgida vela per æquor
Dirigat, & puppim certa ratione gubernet.
Fac tamen incolumes reliquos tua dextera ſeruet,
Suppleat atque vicem claui: tumulabitur vndis
Magnanimus iuuenis; nuper qui murmura ponti
Nil timuit, mortisq. minas; ſeq. obtulit vltrò
Fluctibus, vt tumido raperet de gurgite claſſem?
Ecce autem dubio paulum dum pectore nautæ
Subſiſtunt, iuuenem cernunt per cærula vectum,
Et clauo hærentem victis adnare procellis.
Ille autem ſocios læto clamore ſalutat;
Et quaſi iam validis impelleret æquora remis,
Aſſequitur puppim, puppiq. immittit habenas.
Illa iterum Zephyris ſpirantibus æquora verrit,
Et ſoſpes tandem patrijs allabitur oris.
Excipiunt læti nautas in littore ciues;

Atque vltro, citroq. Patris miracula pandunt.
At contra, Calabro nuper quæ littore puppis
Soluerat infelix, rapidis agitata procellis
Obruitur pelago; quoniam coelestia tempsit
Auxilia, & vanis hominum se credidit ausis.
Ipse gubernator manibus propellere fluctus
Nequidquam tentat: furit implacabilis Auster
Fortius; & fessum vasto sub gurgite tandem
Demergit; sociosq. eadem mox damna sequuntur.
Illi expirantes, patriam, dulcesq. penates,
Et viduæ sponsæ thalamos sub pectore versant.
Dum tamen os breuibus cupiunt aperire querelis,
Accipiunt inimicum imbrem; dum mittere vocem
Extremam, cum voce animam emisere sub vndis.
Vnus at incolumis nemorosa ad saxa Giraci
Appulit; oblitus quoniam patriamq., domumq.
CATALDI quæsiuit opem, reperitq. fauentem.
Viderat hic Domini peregrina in veste sepulcrum:
Mox rediens, nostri legeret dum littoris oram,
Præsulis edidicit vires, miracula, nomen;
Præsidioq. eius vitam sacrauit, & annos.
O victura fidem spectacula: rara potestas
O Superum; quis tanta breui sub carmine claudat
Gesta Patris? potuit fibras animare sepultas,
Et pelagi cohibere minas, & pellere morbos,
Innumerasq. animas Stygijs auertere flammis.
Est propè Basenti ripas sine nomine pagus,
Nobilis vrbs quondam, & doctis celeberrima Graijs:
Quam sibi delegit Samiæ telluris alumnus,
Grandia symbolicis tegeret dum dogmata verbis;
Archytasq. parens, fessus dum pondere rerum,
Tranquillam cuperet ciuili ex murmure pacem.
Marmora relliquias Metaponti prisca sepulti
Nunc retinent: sed quale foret, dum regna manerent,
Ipsa ruina docet, nec non veneranda vetustas.
Hic mulier fido nuper cum coniuge vixit:

Vnicus his infans, tardæ ſpes prima ſenectæ
Naſcitur; infirmo nec dum veſtigia greſſu
Imprimit; aſt humilis reptat, manibusq. tenellis
Carpit iter modicum, ſparſosq. recolligit artus.
Accedit ſed mœſta dies, quæ corda parentum
Dilaceret, pignusq. adimat: nam limina matris
Vndique femineus cœtus de more frequentat,
Vt miſeros fallat vario ſermone labores.
Exercent hinc inde colos; & multa viciſſim
Commemorant, miſcentq. ſuis mendacia nugis,
Et mulcent grauidos operoſo ſtamine fuſos.
At puer infelix, flammæ perculſus amore,
Vt ſimplex pyrauſta, focos penetrauit apertos,
Et ruit in prunas: Superi fulcite cadentem;
Et prolem miſeræ primam defendite matri.
Flamma vorax ſubitò teneros abſumit ocellos;
Iamq. genas violat; iam mollia tempora mandit,
Interiusq. ſubit: nec dum tormenta pateſcunt
Matri. linque colos, infelix femina; verbis
Fige modum: tua damna vide: tua viſcera ſerua.
Quid tamen heu ſerues, quem iam depaſcitur ignis?
Lumina quas nequeunt ſpectare auerſa ruinas,
Vix tandem nares capiunt: namque vſta vaporat
Nidorem facies; & ſæua incendia pandit.
Mœſta parens ſubitò properat, natumq. fauillis
Eripit: at fruſtra. tarda eſt tua gratia, mater:
Non puerum ſeruas; pueri ſed triſte cadauer
Extrahis è flammis. citius mors inuida vitam
Eripuit, quàm tu vitæ pereuntis amicum
Ferres ſubſidium. miſeræ ſpectare cadentem
Non licuit; celeres vndis nec ſiſtere flammas.
Nunc tandem combuſta licet per membra tueri
Ignis relliquias, & non reparabile damnum.
Quid tamen heu torpes? nati quid funera differs,
Infelix genitrix? quæ te ſpes fallit inanis?
Hos licet extinguas lacrymis manantibus ignes;

Qua

Qua tamen arte animam reuoces, quæ miſta choreis
Aethereis, horret ad Tartara noſtra reuerti?
Illa tamen ſperat: nec ſpes temeraria: Sanctum
Nam prece ſollicitat, palmasq. ad ſidera tollit,
Exclamans: Pater alme, veni; reſtingue fauillas;
Et puero vitam,& nomen mihi redde parentis.
Magna peto; ſed magna ſoles conferre precanti.
Quod precor, haud mereor: ſed tu maiora mereris
A Domino: nutusq. tuos, non murmura matris
Audiet Omnipotens. Sed tu non talia debes:
Debita ſi ſoluas, facta eſt mihi gratia merces.
At nato inuideo Superum conſortia: viuat,
Ditior & redeat maiora ad præmia. Mortem
Bis perferre malum vix eſt tolerabile: maior.
Aerumna eſt matrem luctu damnare perenni.
Hos repetit lacrymans infelix femina queſtus:
Infans nulla tamen reparat veſtigia vitæ.
Vt tandem manifeſta lues, vt funus acerbum
Edidicere omnes; fieret quò nomen Iberni
Clarius, & plures caperent miracula teſtes;
Apparet modicus tepido ſub pectore motus;
Eque genis flammæ feralia ſigna recedunt:
Balbutitq. puer ſenſim, caræq. parentis
Pendet in amplexu: ſed quas fecere ruinas
Hoſtiles flammæ, ſiccis prætendit ocellis.
Viuit, ſed cæcus. viuentem læta tuetur,
Orbatum luget bifido quaſi pectore mater.
Mox ait: Antiſtes mitiſſime, dulce parentum
Solamen, quæ dona mihi,quæ gaudia præſtas?
Dimidium munus capio, miſtamq. querelis
Lætitiam. natum video: magis ipſa videri
A nato cuperem. munus mihi perfice Præſul;
Nec tenues pariat riuos tua vena perennis:
Si cupis eſſe aliquod poſt tanta incendia ſignum,
Egregium quod monſtret opus, quodq. omnibus horis
Et pueri caſus, & tot miracula pandat;

Sint satis hi testes, hæc qui spectacula cernunt:
Sit mea lingua satis, tua quæ præconia passim
Effundet: sit fama satis, quæ forsan Iberni
Præsulis æterno sacrabit carmine nomen.
Illa hæc dum loquitur, nati rediuiua tuetur
Lumina pupillis acie meliore renasci.
Nec mora: longæuæ properat sociata parenti
Ad Sanctum, quò vota sacras persoluat ad aras.
Ingressæq. vrbem, primo sub limine corpus
Prosternunt ambæ; cubitoq. genuq. reflexo
Vtraque serpit humi: pariter sic Præsulis ædem
Cum penetrant, ad tanta trahunt spectacula ciues.
Ante aras puerum sistunt, lacrymisq. profusis
Dona DEO reddunt; & funera Præsulis ornant.
Parte alia multos misit vetus Vria ciues,
Non modò tantarum permotos nomine rerum;
Sed quòd vidissent patrijs penetralibus ipsi
Pluribus optatæ conferri dona salutis.
Hos inter properat mulier, cui tempora sæuus
Vexabat, rabidusq. dolor; tantaq. premebat
Eluuione mali, vt tandem quoque lumine Solis
Orbaret miseram, tenebrisq. offunderet atris.
Illa gemit, lacrymisq. pijs, precibusq. fatigat
CATALDVM, quò præstet opem, vel stamina vitæ
Præcidat; quoniam melius vitalibus auris
Priuari, quàm ferre diu dispendia lucis.
At, cum sola domi decumberet ægra, per ædes
Nescio quem sentit paulatim hinc inde moueri,
Raptoremq. putat; subitoq. exterrita, ciues
Femineo clamore vocat: sed protinus ictu
Bis percussa leui, maiori accenditur æstu;
Atque ait: O, miseram quid iam grauioribus vrges
Aerumnis, furtoq. meas, scelerate, ruinas
Exagitas? sed plura loqui cum vellet, ademptum
Sentit adesse diem; dulcesq. patere recessus
Circumquaque domus. miratur femina monstrum,
Portentiq.

Portentiq. modum . ſed mox ſua gaudia præfert
Plenius ; informi quoniam caligine pulſa,
Se videt incolumem, cum iam grauiora timeret.
Interea accurrunt ciues, cauſamq. tumultus
Expoſcunt : quibus illa oculos commonſtrat, & omnem
Enarrat rerum ſeriem : ſecumq. volentes
Ducit ad Oebalium littus ; quò funera viſant,
Relliquiasq. Patris, cumulentq. altaria donis.
Altera ſeptenni mulier penè obruta morbo,
Cupreſſane, tuis laribus, comitante caterua
Nobilium procerum, noſtram deuenit ad vrbem.
Hæc ruit in lapides dudum, viſura ſororem
Dum conſcendit equum : tumuitq. ita venter ab ictu,
Vt minus excreſcant pariturae viſcera matris.
Angitur illa diu, tentatq. Machaonis artes
Nequidquam ; tandemq. domi, lacrymabilis omni
Parte, iacet. ſed dum nomen crebreſcit Iberni,
Fido animo certam ſpem concipit, inde ſalutis
Poſſe ſibi reperire viam, qua, tubere preſſo,
Incolumis reparet morbi fera damna prioris :
Atque ait: O quicunque foues tua templa, Sacerdos,
Talibus auſpicijs, ſupplex ne deſpice votum ;
Nec gemitus contemne meos, lacrymasq. cadentes.
Me dolor excruciat ; vexant me pondera partus :
Sed quod viſceribus latitat, nec nomina matris,
Munera nec prolis, ſæuæ ſed pignora mortis
Promittit miseræ. ſed tu meliora precanti
Reddere, Sancte, potes : neſcit nam pharmaca morbus
Mortali prætenta manu ; terrenaq. vincit
Subſidia, auſpicijs tantum ceſſurus Iberni.
Creſcat honos, nomenq. tuum ; mereatur & hoſpes
Hoſpitis auxilium : & poſt tot miracula diſcat
Hæc etiam portenta Taras, miretur & orbis.
Hæc effata, videt ſenſim decreſcere molem,
Atque vteri pondus :qualis dum follis aperto
Gutture, vt admiſſos exhalet tergore ventos,
Extenuat,

Extenuat, minuitq. cutem: tumor vndique cedit;
Seq. suo gyro breuiori membra coarctant.
Euulgat subitò mulier miracula: ciues
Accurrunt, firmantq. fidem; comitantur & illam,
Nota Phalantææ quærentem pergama gentis.
Iamq. iter emensi medium; cum turba virorum
Comminus assequitur diuerso calle ruentes;
Qui pariter patrijs egressi finibus, arces
Oebalias poscunt; subeant quò Præsulis ædem,
Persoluantq. preces, optataq. dona reportent.
Iungunt se comites; narrantq. ex more vicissim,
Quò vadant, quæ vota ferant, quæ munera poscant.
Cumq. prior, sæuo toties quæ tubere mortem
Expetijt mulier, sua gaudia læta referret,
Ingemuit comitum quidam: qui sanguine cretus
Illustri, Traianopolis pomœria nuper
Egressus, natæ secum lacrymabile pondus
Vectabat; miseram quam sic deferret Iberno,
Flecteret vt melius Superos præsentis imago.
Atque inter gemitus: Felix ò femina, dixit,
Præteriti quæ tuta potes meminisse pericli;
Naufragiumq. refers securo in littore sospes.
Felix, cui tantum sperare, & carpere munus
Permissum est; tantiq. vales euadere voti
Compos. At ipse miser contra, qui prælia narro
Inter bellorum strepitus, penè obrutus armis;
Imbriferasq. hyemes, tempestatesq. furentes
Fluctibus in medijs refero. Me nata parentem
Conficit ærumnis: toto quæ corpore motus
Lethales patitur, linguæ cui munus ademptum,
Officiumq. pedum. dederat Natura puellæ
Egregiam formam, qualem nec Græcia vidit,
Tyndaridis mirata tores. hinc ipse nepotes,
Hinc generum speraui amens: nam protinus ipsam
Aggreditur funesta lues, vultusq. decoros,
Immutat; generumq. adimit, thalamosq. propinquos.

Quid faciam? votis Superos, precibusq. lacesso.
At nemo exaudit; nullus medicamina præstat;
Et mereor grauiora pati. spes vna salutis
Restat adhuc misero (nec spes me credula fallet),
CATALDI tentare fidem. Dum talia narrat,
Dum gemit infelix; offendit in obuia saxa,
Qui natam vectabat, equus; timidusq. retorquet
Ceruicem dubiam, clitellas dissipat, ægram
Excutit, illiditq. solo: sequiturq. cadentem
Pondere & ipse suo stratus, geminatq. ruinam.
Turbati extemplo comites lacrymabile damnum
Deplorant. maiora parens exordia questus
Dum tamen inciperet, tenuit sub gutture vocem,
Vt noua conspexit miracula. namque repente
Corruit vt virgo, sæuo perterrita casu
Exclamat: Fer opem, genitor; nam limina mortis
Ingredior: iam rumpe moras. nec plura locuta est:
Nam subitò exiliens, plantis hinc inde solutis,
Ne premeretur equo, celeri vestigia gressu
Signat; & infirmis reparat sua robora neruis.
Vt pater aspexit venientem: Somnia fingo,
O socij, ò ciues: an vos spectacula (dixit)
Cernitis hæc mecum? non vox audita puellæ
Auribus intonuit vestris? non verba notastis
Elinguis? non iam vestigia recta videtis
Claudæ? nonne suam capiunt iam membra quietem,
Dissociata malo, motuq. agitata perenni?
O Superum virtus, ò rara potentia cœli!
E damno lucrum capimus: quod mœsta parare
Funera debuerat, melioris commoda vitæ
Præstat: & in medijs exurgit fluctibus aura
Lenior: & subitam pariunt aconita salutem.
Quid non sperandum, reparant si tecta ruinæ:
Accensasq. fugant maiora incendia flammas?
Hæc fatus, natam complectitur; vtq. loquentem
Audiat, exquirit, dederit quis robora membris,
 Solueris

Soluerit & liguæ nodos : dum singula narrat,
Acceptumq. refert tam nobile munus Iberno,
Effingitque viri mitram, vultumq. decorum;
Plenius exultat genitor; natamq. moueri
Longius, hortatur; notos mox inspicit artus,
Et tentat neruos. quærens, num signa supersint
Præteritæ tabis: sed iam vestigia morbi
Nulla manent, & tota lues è corpore cessit.
Sic læti properant omnes ad Præsulis aras;
Ingressiq. domum, narrant miracula, vota
Persoluunt, funduntq. preces, gratesq. rependunt;
Interea populus Pario de marmore tumbam
Struxerat, & varia decorarat imagine saxum;
Foderat atque locum tumulo. tunc agmina cleri
Instaurant hymnos, atque vltima verba loquuntur.
Tempus adest, venerande Pater, quo sacra sepulcro
Membra tegas, tantos, & tot perferre labores
Quæ potuere diu : paruum ne despice munus.
Quòd si forte velis tumulo meliore recondi,
Te noster tumulabit amor : nam pectora nostra
Seruabunt viuos cineres, & nomen Iberni:
Nos contra hoc saxo tegimur, memoresq. parentis
Te sequimur, viuiq. tua tumulamur in vrna.
Hoc vnum petimus : tua ne miracula terris
Inuideas; genitoris opem ventura nepotum
Sentiat vt series, ac te super astra micantem;
Perpetuoq. pater patriæ ne sperne vocari.
Hæc dum conclamant, geminant funalia flammas,
Plebs gemitus, laudes proceres, pia thura vapores.
Sed magis exultant, qui promeruere salutem
Post morbos, celebrantq. Patrem maioribus hymnis.
Vnus adhuc frustra suffragia Præsulis ambit
Infelix genitor, natam qui duxerat ægram;
Cui crura, atque vlnas tetri vis improba morbi
Læserat vsque adeo, motus vt demeret omnes,
Et reliquos sensim miseræ depasceret artus.

Bis binos in vota dies impenderat, instans
Assiduis precibus genitor: sed nulla salutis
Signa videt: tandemq. Patris sacra membra sepulcro
Aspiciens condi, tristes desæuit in iras;
Atque indignanti profert has ore querelas.
Vade, Vale, alme Parens, dulces & carpe sopores;
Alme parens alijs; qui iam diffundis in omnes,
Quæ mihi dona negas. videor grauiora mereri;
Et fateor: sed læta tuæ solennia sortis,
Hoc poterant superare nefas, gemitusq. parentis
Mulcere; vt nulli tanta inter gaudia luctus
Esset materies, iusti vel causa doloris.
Areat Oceanus soli mihi, frigeat ignis,
Et tenebras pariat rutilanti lumine Titan.
Si scelus hoc meruit patris, quid membra puellæ
Torquentur? pendat pœnas aut criminis auctor,
Vt decet; aut nullos aliena impendia lædant.
Insonti meritam natæ concede salutem,
Et sæui in patrem. Sed quid delusa moratur
Spes miserum? quid vana loquor? fuge limina templi,
Infelix, natamq. domus penetralibus abde
Inuisam cælo, & Superis: narrentq. nepotes
Portentum hoc nostrum post tot miracula: cuncti
Incolumes rediere; at qui plus luxit ad aras,
Perstitit atque alijs constantior, ille repulsam
Promeruit solus, saltem mihi detur, Iberne,
Aequo animo tot damna pati, tot ferre ruinas.
Hæc ille ingeminans natam prope limina sistit,
Exponitq. solo, citius quò sternat asellum,
Accelerctq. fugam. sed mox conuersus eodem,
Nulla videt natæ vestigia: credit ademptam;
Illa licet nullos seruari posset in vsus,
Omni parte suis miserè prostrata ruinis:
Attamen id retur factum, quò percitus ira
Maiori, pendat grauiori pondere pœnas
Infensus Superis, nec non mortalibus ægris.

Protinus exclamat: Simplex à ciuibus hoſpes
Inſuper eludor? quare additis ignibus ignes,
Vulnera vulneribus? ſic, ſic miſerabile vulnus
Mulcetis? miſeram miſero iam reddite natam;
Noluit incolumem Præſul; quæcunque relicta eſt,
Accipio. ſit luce magis dilecta parenti,
Pondus iners alijs, & praua mortis imago.
Sic ait infelix, oculosq. per omnia verſat;
Ingrediturq. adytum templi, & penetralia rurſum
Inuitus: tandem poſt tot diſpendia, natam
In crucis amplexu reperit prope ſaxa ſepulcri:
Spemq. metumq. inter dubius, dum crura puellæ
Conſpicit, atque vlnas certa ratione moueri,
Exclamat: Tu ne illa patri cariſſima proles,
An Superi illudunt miſero, nataeq. figuram
Obijciunt oculis, qualem voluere parentis
Vota diu, at fruſtra? quis ſacro è limine templi
Te patri eripuit? quæ vis tua brachia motrix,
Quæ ve pedes agitat? vultus agnoſce paternos.
Hæc ille. huic contra Virgo; Non ficta tueris
Somnia: ſed Superum patiens addiſce fauores
Expectare, pater. non tarda eſt gratia cœli:
Differtur, quò grata magis ſuccedat; & horas
Compenſet triſtes poſt longa incommoda maior
Lætitiæ cumulus. ſed tu ſpem credis inanem,
Impatiensq. moræ ſuperos ſermone laceſſis
Præcipiti; quaſi vota hominum, lacrymasq repellant:
Extrahis & templo miſeram. ſic munera coeli
Cum poteras meruiſſe minus, coeleſtia ſentis
Auxilia, & natam voto meliore reducis.
Præ foribus templi iaceo dum roboris expers,
Iam reditura domum; cupio ſpectare feretrum,
Atque ſepulcrales extincti patris honores:
Creſcit amor ſenſim. ſed quis te flectere poſſit
Iratum Superis, hæc vt ſpectacula nobis
Cernenda exhibeas? mecum dum talia voluo,

Demulcet dubios natæ vox intima sensus:
Vade, age, quis prohibet? redduntur robora neruis
Post vocem, motusq. prior: subitoq. reuertor
Ad Patris inferias. grates pro munere dignas
Interea tu redde precor, Superumq. fauores
Agnosce; & sacrum ne despice nomen Iberni.
Vltima non potuit narrantis verba puellæ
Expectare pater; sed protinus ocyus Euro
Currit ad amplexus natæ; lacrymisq. profusis
Deplorat scelus admissum; pedibusq. verendis
Procumbens Sancti, cœlestia numina laudat.
Mirantur proceres: ruit ad spectacula vulgus;
Exultantq. hilares peregrina ad gaudia ciues.
Interea occiduus Titan Nabathæa ciebat
Sidera: & octauo rediens ad funera gyro,
Suadebat fessis faciles nox humida somnos:
Cum ciues sacra membra Patris posuere sepulcro
Marmoreo, atque crucem gemmis, auroq. nitentem;
Nomen vbi exculptum RACHVENSIS præsulis ætas
Nostra legit, totumq. Taras promulgat in orbem.

LIBRORVM SEX CATALDIADOS FINIS.

IN VITAM
S. CATALDI EPISCOPI
A BARTHOLOMAEO MORONO TARENTINO CONSCRIPTAM.
PRAEFATIO.



CVM in singulos CATALDIADOS Bonauenturæ fratris libros argumenta scripserim; facturum me operæ pretium existimaui, si initio totius operis; S. CATALDI Vitam è Sanctorum Catalogo, ex vetustissimis Codicibus Tarentinæ Ecclesiæ manuscriptis, & ex Officio, quod superioribus annis iussu Romani Pontificis à Cardinali Sirleto reformatum in eadem Ecclesia legitur, summa fide depromerem. Idq. eò magis, quod in multis Orbis terrarum partibus ne nomen quidem Sanctissimi Antistitis huius auditur; vel nostra Tarentinorum incuria, qui tantum Patriæ defensorem, diuino beneficio à remotissimis Iberniæ finibus huc vsque transmissum, intra angustissima vrbis pomœria detinemus, nec alibi celebrem esse volumus; vel iniuria temporum: quorum diuturnitate penè omnia ex hominum memoria delentur, & extinguuntur. His igitur argumentis mei consilij rationem defendo. Primùm gratissimum Patriæ meæ munus persoluam; qui communem omnium Patrem saltem ad finitimos populos extra domesticos parietes deducam: & quantum historię lex, id est veritas, patiatur, celebrem, atque commendem. Deinde ijs, qui proficere aliquid ad Christianæ vitæ instituta contendunt, non vulgare vitæ morum exemplar, quod imitentur, proponam: hinc enim & fuga desidiæ, & voluptatum contemptus, & pietatis cultus, & studium religionis, & sexcenta virtutum genera colligentur. Postremo carissimi Fratris lucubrationibus aliquid, si non dignitatis, at certè vtilitatis afferam; vnusquisque enim facilè ex nostro hoc labore cognoscet, quantum poetica lumina historiæ narrationem, & seriem illustrarint; ita veritatis ratione habita, vt, quamuis aliqua in hac nostra historia non sis lecturus, cogaris tamen potius incuriam, aut breuitatem nostram reprehendere, quàm ingeniosas fratris damnare commentationes. Non enim fingit ex industria; nec ea, quæ facta non sunt, exponit; sed quæ & fieri potuisse, & facta esse, quisquis rerum gestarum narrationem diligenter perpenderet, procul dubiò affirmaret. Nam Dæmonum concilium in primo, peregrinationis periodos in secundo, Furiarum denuo excitatam rabiem in tertio, cæci hominis narrationem in quarto, & alia id genus per totum opus sparsa, quis Poetarum figmenta dicere audeat, ac non potius verissimam historiæ narrationem? Duo tantum sunt, in quibus aliquam poetarum licentiam modestissimè vsurpauit. Alterum, quòd vt Patriæ laudes cumulatius celebraret, in S. CATALDI Vaticinio nonnulla addidit, quæ Sanctus vir non explicauit; vera tamen illa sunt omnia, sed aliunde petita. Alterum, quòd in sexto libro miracula, quæ diuersis temporibus acciderunt, octo dierum spatio facta commemorat, vt sacri funeris pompas illustriores reddat: & quòd, nisi ibi dicerentur, omnino fuerant prætermittenda. Erit denique quasi materies quædam, & totius operis argumentum, quidquid ego breuissime in hac narratione conscribam; Cornelij Nepotis doctissimi viri sequutus exemplum: qui, cum Daretis Phrygij historiam latinis versibus reddidisset, tandem, consummato opere, singulorum librorum materiam soluta oratione complexus est.

VITA, ET MIRACVLA S. CATALDI EPISCOPI, ET CONFESSORIS, TARENTINAE CIVITATIS PATRONI.

Ex Catalogo Sanctorum; è vetustissimis Tarentinæ Ecclesiæ Manuscriptis Codicibus; & ex Officio per GVLIELMVM Sirletum S.R.E. Cardinalem, iussu Summi Pontificis, reformato,

Per BARTHOLOMÆVM MORONVM TARENTINVM Conscripta.



VIt CATALDVS ex Ibernia oriundus, quæ in occiduo mari trans Britanniam sita est: Insula quidem Britannia dimidia plus parte minor; sed par omnino ei vel vbertate agri, vel pecoris fœcunditate: atque etiam tepore soli, cœli clementia, & aeris serenitate nobilior. Patriam eius non nulli Rachau fuisse affirmant, in Numeniæ partibus quondam non obscuri nominis vrbem; moti fortasse, quod in multis libris, CATALDVS RACHAV, scriptum reperitur. Alij dicunt esse Catandum; quod mihi profecto magis verisimile videtur; vnius enim mutatione litteræ ex Catando CATALDVM deduces: neque enim vt ciuis, sed vt Rachuensis Ecclesiæ Præsul ab vrbe RACHAV cognomen accepit: qua ratione & Ambrosius Mediolanensis, & Eusebius Vercellensis dici interdum solent: cum tamen hic genere Sardus sit, ille Romanus. Parentes autem CATALDI sine controuersia Euchum, & Achlenam faciunt, siue Athenam; vtrumque nomen Græcis litteris auspicatum, quòd & pietatis, & sapientiæ symbolum præseferat: εὐχὴ enim Grecè, oratio, Ἀθήνη sapientia nuncupatur.

Fuit

Fuit autem eo tempore, Adriano videlicet Imperatore, aut paulo ante obitum Traiani, sapientissimus vir nomine Dichus; qui (vt credere par est) supra humanæ sapientiæ captum diuino spiritu euectus, dum nocte quadam supra domum CATALDI lucidissimam facem videret, pueri mores, vitæq. seriem cognoscens, Achlenam adijt parturientem: cumq. obseratis foribus aditu prohiberetur; quasi egregia quædam dicturus, & maternos angores vicini partus felicitate consolaturus, vt sibi ingredi concederetur anxiè, atque obstinatè rogabat. Illa autem, quòd sola domi esset, nec loco moueri ob immensos partus cruciatus posset; negauit se quemquam, absente viro, in vacuas ædes admissuram. Dichus verò, cum interesse nihil arbitraretur, intus, an foris vaticinia promulgarentur, sic mulierem allocutus dicitur: *Bono animo esto, felicissima mater; nec dolore partus, mortis propinqua metu, atque omnium rerum indigentia DEI inclementiam arguas: paries enim filium veræ Religionis propugnatorem: nec solum parentum, ac patriæ decus; verum etiam totius Iberniæ ornamentum, nec non exterarum gentium sempiternum præsidium.* Hæc ille cum diceret, per rimulas ostij feminam obseruabat, quasi aliquod miraculum inspecturus.

Achlena paulo post CATALDVM parit; & siue diuino consilio, siue immensis partus cruciatibus, mortem obit acerbissimam; vt tanti filij vita morte matris redimeretur, atque eodem tempore puer ederetur in lucem, quo parens instruebatur ad funus. Infans igitur humi cadens, in marmoreum lapidem, qui ad domesticos vsus in cubiculo fuerat collocatus, molle, ac tenerum caput impegit. Quis credat, lapidem durissimum delicatulo infantis cessisse capiti, atque instar liquescentis ceræ cranium sanctissimi pueri, cauato sinu, ita excepisse, vt in sese exprimeret capitis formam; ac semel expressam, in veterem duritiem commutatus, constantissimè retineret? Tunc infans, quasi iam ad pubertatis annos deuenisset, rectus assurgens, mortuæ parentis oscula deposcebat; ac matrem, vel potius exanimatæ matris, quoquo modo poterat, ita cadauer amplexabatur, vt tandem luctuoso vagitu defunctam, prorogatis funeribus, reuocaret ad vitam: atque vt alterum ex altero confirmaret miraculum, matri suæ viuenti iam, videntiq. excauatum lapidem paruo digitulo demonstraret.

Crescebat interim puer; atque adeo ad optimos mores, & sanctissimas disciplinas in dies proficiebat, vt omnes fœcunda virtutum semina, & egregias animi dotes cum ipso natas, & altas esse iudicarent. Et, ne quid ad perfectissimi hominis deesset exemplar, tantum in sacrarum litterarum assidua lectione, ac meditatione processit; vt omnes in sui admirationem raperet. Cumq. non posset ciuitas abscondi supra montem posita, vndique ex finitimis, ac remotis regionibus innumeri penè homines Lesmoriam, vbi tunc ille studiorum causa degebat, celerrimè

conuenirent, ac præsentes experirentur, beatissimi CATALDI virtutes esse & fama, & inuidia longè maiores; quæq. potius laudatorem quærerent, quàm admitterent æmulatorem.

Sed Sanctus iuuenis studio Religionis incensus, veritusq. ne inter humanas laudes iactantiæ venenum tacitè serperet; decreuit beatissimæ VIRGINI Templum construere; vt ij, quos ad Fidei cultum ex idolorum superstitione, vitæ irreprehensibilis exemplo, & assiduis cohortationibus conuertebat, commodius se se in diuinis laudibus exercerent, & erga DEI Matrem maiore deuotione, ac pietate afficerentur. Vix tamen iecerat fundamentum, vix templi ambitum præsignarat; cum repentè moritur adolescens quidam patri vnicus: qui vel in ea ædificatione confractus expirauerat, vt est in repurgato Officio, quod modo in nostra Ecclesia legitur; vel, vt habent aliqui vetustissimi codices, ingrauescentis morbi fuerat vi, ac diuturnitate consumptus. Erat eo tempore vel Lesmoriæ, vel Catandi (breuissimum enim est inter vtramque vrbem spatium interiectum) Lapis ille, quem in sancti huius viri natali die diximus excauatum; celebris apud finitimos populos non modo veteris recordatione miraculi; sed quòd in dies nouorum spectaculorum materiam, & causam præbebat: nam positus sub dio, quoties imbrium guttis opplebatur, sexcenta morborum genera simplicissimo pluuiarum balneo curabat. Huc igitur adolescentis mortui pater accurrit; vt, si fieri posset, filij deploratum cadauer, cœlesti illius lapidis rore conspersum, reuiuisceret, & paternos leuaret luctus. Vbi tamen ad locum peruenit, marmor vel imbrium raritate, vel frequentia hominum, quorum vnusquisque valetudini suæ in diuersis morborum generibus consulebat, aridum reperit, & exhaustum. At non propterea miseri patris constantissima spes elanguit: cogitabat enim, multo facilius CATALDVM, ex cuius merito lapis ille tantum virtutis acceperat, filio posse vitam restituere; & quod non poterat exhaustis imbrium guttis adipisci, sperabat se sancti viri precibus consecuturum. Ad beatissimum itaque Iuuenem, qui in templi ædificatione laborabat, accedit; & luctuosi cadaueris portitor factus, suam coram illo fortunam ingenti gemitu, miseriamq. deplorat. Huius lacrymas, fidemq. vbi CATALDVS animaduertit: *Non debet*, inquit, *filius tantarum lacrymarum acerbam mortem diutius sustinere; & parenti, tanta fide prædito, perpetus luctus præbere materiam: foueat igitur patris senectutem reuocatus ad vitam, qui mortuus paternos humeros pia sarcina defatigauit.* His verbis surgit adolescens, & viuus patri restituitur; mirantibus, qui aderant, vniuersis, eadem pene facilitate hunc hominem mortuos reuocare ad vitam, qua dormientes quispiam excitasset.

Nec ita multo post tanti miraculi fama commotus miles, cuius etiam filius in primo ætatis flore decesserat, cadauer ad beatissimæ VIRGINIS

templum properat absque pollinctoribus importare; non vt locum defigat sepulturæ, sed vt sancti viri precibus natum reuocet ad vitam, & suæ consulat senectuti. CATALDVS, qui tum forte in imo erat fundamento Ecclesiæ, quod fodiebatur, humanæ conditionis haud immemor, cum longas constantis viri preces, & laudum præconia, quæ passim congerebat, diutius pati non posset: *Numquid ego DEVS sum*, inquit, *qui possim mortuos ab inferis excitare?* Nec propterea pater filij salutem desperans, feretrum propè fundamentum deponit. CATALDVS interea, vel vt militis molestiam deuitaret, vel vt suam potius humilitatem, modestiamq. conseruaret, ad intermissum opus regreditur: dumq. è fundamento terram proijcit, puluere cadauer conspergit; siue vt ostendat mortuis cadaueribus humum potius, ac tumulum, quàm vitæ munus procurandum; siue vt nouo, & inusitato miraculo, DEO sic inspirante, ad suas animam reuocet functiones. Nam, qui diu mortuus iacuerat, statim ac salutarem puluerem, quasi cælestis imperij vocem sensit, eum reuocantis ad vitam, continuo assurgit, & ad carissimi patris complexum accurrit: tantaq. lætitiæ vis vtriusque animum occupat, vt elinguem vtrumque crederes, ac penè mortuum: nisi rara lacrymula, incredibilis lætitiæ testis, vicissim amborum oculos, ac genas irrigaret.

His miraculis quot populos CATALDVS ad Fidei veritatem conuerterit; a quot ciuitatibus seruile Diaboli iugum deiecerit, explicari vix potest. Nullus enim in vniuersa penè Ibernia relictus est, qui veræ religionis cultum non addisceret. Atque hinc sanè conijci facili negotio potest, quàm lethale odium humanæ salutis hostis in sanctissimum iuuenem conceperit, & quot insidiarum laqueis eum irretire tentauerit; vt vel eum è medio tolleret, vel saltem a prædicatione diuini verbi deterreret: quod quidem ex eo, quod sequitur, liquidò patebit. Miles enim rediuiui adolescentis pater, cum tantam animi lætitiam secum tacitus cohibere non posset, Regem adit; filium a mortali somno excitatum demonstrat: explicat miraculi rationem, & populorum frequentiam, qui vndique Lesmoriam ad tanta spectacula conuenirent. Tunc Rex magicis artibus adscribens, quod diuina virtute factum fuerat; & veritus, ne CATALDVS tot populorum beneuolentia fretus, ad regni fastigium aspiraret, Lesmoriam nauigio contendit, vt sanctum virum ex Insula profugum in alienas terras eijciat, ac deturbet. Eò igitur cum peruenisset, contineri nullo modo potuit, quin protinus sanctissimum virum catenis arctissimis vinciendum iuberet, & in tenebricosum carcerem conijciendum.

Dominus autem, qui rerum humanarum fatagit, cum Regis tyrannidem, atque impiam sententiam ferre non posset, duos Angelos allegauit; qui intempesta nocte Regem adeuntes, diuini imperij decre-

tum exponerent. Horum alter stricto gladio, igneis oculis, ac seuero vultu acerbissimam Regi mortem intentat: alter humanitatem, ac singulare erga regiam salutem studium præseferens, homini familiariter suadet; vt CATALDVM vinculis soluat, ac Ducis Meltridis, qui Regis animum contra innocentissimum virum sæpe numero concitarat, constituat successorem. Excitatus Rex Senatum acciri iubet, & reliquos Principes ciuitatis; vt quid in hac re faciendum esset, decerneretur. ijs igitur Rex dum ea, quæ per quietem viderat, enarraret; ecce tibi nuncius, qui Ducis Meltridis mortem exponit, ac totius Prouinciæ cupiditatem a Rege successorem exposcentis. Tunc Rex aliquandiu tacitus somnij veritatem considerans, mox, *Quid*, inquit, *consilio opus est? quid ad vos, Senatores, referri oportet, quod manifestius est, quàm vt per vestra suffragia decernatur? Iam somniorum præstigijs non illudimur; sed diuinæ voluntatis rationem agnoscimus, cui contradicere summæ dementiæ est.* Hæc cum dixisset, CATALDVM adduci iubet; veniam ab eo cum lacrymis petit: atque illum, quamuis obstinatè renuentem, Meltridis Ducem in demortui locum designat. CATALDVS tum Diaconus, cum DEI ministerium cum Regijs insignibus commutare nollet, in Episcopum eligitur. Quod non modo Rex libentissimo animo approbauit, sed etiam Ducatum Meltridis in perpetuum Ecclesiæ concessit: quem duodecim Episcopis CATALDVS distribuens, Episcopalem suam sedem in Archiepiscopalem euexit.

Aliquot post annis cum vigilantissimus Pastor, forma gregis factus, vniuersam prouinciam salutaribus præceptis informasset, & Rachuensi ecclesiæ aliquandiu præfuisset, Hierosolymam, vt CHRISTI domini sepulcrum veneraretur, ire constituit. Accersitis igitur duodecim Episcopis, sui propositi rationem exponit; & Dominicas oues, quas relinquebat, ijs commendat: salutatisq. omnibus, illico nauim sine vllo comitatu, aut satellitibus, peregrini habitu conscendit. quem qui videret, non iam tot ciuitatum Dominum, non tot ecclesiarum Rectorem, ac parentem agnosceret; nisi eum oris maiestas, vultusq. præstantia prodéret, quæ maius nescio quid in CATALDO, quàm in reliquis præseferret. Multis igitur periculis, ac laboribus perfunctus, post longissimam nauigationem Hierosolymam venit. Cumq. sanctissimum CHRISTI Sepulcrum præsens adorasset, atque alia perlustrasset loca, quæ Dominus, dum inter mortales viueret, varijs miraculorum insignibus decorarat, tanto solitudinis amore incensus est, vt nullo pacto in patriam cogitaret reuerti; sed contra assiduis precibus, ac lacrymis a DEO peteret, vt in illis felicissimis syluarum secessibus reliquam ducere vitam sibi concederetur: id enim in primis exoptabat, vt pastoralis officij munus, & animarum curam, sarcinam scilicet etiam Angelicis humeris formidandam, deponeret, ab hominum consuetudine remoueri

sese,

ſeſe, & in ijs locis mori, quæ Dominus quadraginta dierum ieiunio conſecraſſet; aut ſaltem inter homines, vbi aliqua Domini veſtigia reperiſſet.

Verum DEVS, cuius iudicia ab humanis conſilijs longiſsimè diſtant, CATALDO, cum matutinas preces ante ortum Solis recitaret, in manifeſta luce viſus præcepit, vt TARENTVM, vbi PETRVS Apoſtolus, & MARCVS eius diſcipulis Fidei primum fundamenta iecerant, rectà contenderet. Tunc CATALDVS, qui ſe totum diuinæ voluntatis nutui manciparat, nulla interpoſita mora, nauim conſcendit. Cumq. haud procul à portu in altum eſſet prouectus, futuram tempeſtatem prędixit: mox præter omnium opinionem exortam oratione ſedauit; & Iuuenem quendam, qui malum conſcenderat, vt abruptum funem annecteret, & inde decidens confractus expirauerat, reuocauit ad vitam.

Sunt qui credant, ſancti CATALDI comites, cùm è Palæſtina in Italiam contenderet, fuiſſe EVPREPIVM, qui poſtea LEVTIVS dictus eſt, & conſecratus Archiepiſcopus Brunduſinus; & BARSANOPHRIVM Eremitam, cuius reliquias Vritani deuotiſsimè tuentur, & venerantur. Alij verò exiſtimant, CATALDVM, prius quàm TARENTVM accederet, in Iapygiam deueniſſe cum DONATEO: quem primum Epiſcopum Lupienſem faciunt, & Sancti CATALDI fratrem; atque ſimul aliquandiu ſolitariam vitam vixiſſe iuxta oppidulum, quod poſtea à Sancti nomine nomen accepit. Hæc autem in Tarentinæ eccleſiæ monumentis nuſquam legi. Vidi tamen prope Lupias in littore vetuſtiſsimam arcem CATALDI nomine appellatam; in qua & eccleſia cernitur, & exiguum antrum ad cryptæ modum excauatum: in quo Sanctum oraſſe, & Miſſæ ſacrificium perfeciſſe Lupienſes indubitatè contendunt.

Id certè ex noſtris codicibus ſatis conſtat, CATALDVM, cum prope Tarentum appuliſſet, ac per agros Fellini tranſiret, in feminam quandam incidiſſe; quæ aurium, & linguæ munere deſtituta, paternum, & exiguum gregem ſola paſcebat. erat autem Fellinum oppidum prope Manduriam, cuius adhuc in vertice collis aliquot veſtigia conſpiciuntur. Ex quo facilè conijci poteſt, CATALDVM in proximo littore à nautis fuiſſe expoſitum iuxta flumen, quod indigenæ, S. PETRI de Bibagna, patrio ſermone appellant. Vetuſtiſsima enim traditione habetur, eundem PETRVM, cum Antiochia Romam nauigaret, illuc appuliſſe; & in quodam veteri ſacello, quod adhuc exſtat, Miſſæ ſacrificium celebraſſe. A femina igitur cum Sanctus quæreret, quo itinere TARENTVM iretur; ipſa verò, quaſi aliud agens, nihil penitus reſponderet; intellexit vir DEI, ab infelici muliere non voluntatis peruicacia, ſed naturæ vitio tam conſtans ſilentium ſeruari. quare diuina beneuolentia, ac poteſtate fretus, mutæ loquelam, auditumq. reſtituit. Cum autem propinqua iam nocte CATALDVS vlterius progredi non poſſet;

non

non ingrata mulier, temporis occasionem arripiens, eum ad domesticos lares deducit. Cumq. ingressa Pellinum passim miracula promulgaret, oppidanorum animos tanta admiratione affecit; vt mox & Christi fidem libentissimè susciperent, & sanctissimum hospitem, a quo fuerant viam salutis, & veritatis edocti, beneuolentissime tractarent; ac per aliquot dies ad maiorem susceptæ fidei informationem detinerent.

Cæterum CATALDVS, præceptum Domini non oblitus, TARENTVM, quò mittebatur, contendit: cumq. portam ciuitatis, quæ ad Orientem spectat, ingrederetur, cæcum hominem in ipso limine offendit; vt ab vnius hominis calamitate, cæterorum ciuium, qui maiore mentis cæcitate tenebantur, præsagium caperet. Cum igitur cæcum de oppidanorum religione interrogasset, ab eo didicit, maiores quidem suos eius loci incolas ante annos plus minus centum à PETRO quodam, eiusq. discipulo MARCO fidei Christianæ Sacramentis imbutos; tunc autem perpaucos ibi esse, qui eam religionem profiterentur. Cumq. cognouisset Præsul, ne cæcum quidem veræ religionis esse sectatorem, cupidum tamen aliquo modo salutis: *Tu*, inquit, *si verè crediderisin sanctam Trinitatem, atque in eius nomine baptizatus fueris, recipies illico corporis, & animæ claritatem*. Cui cæcus: *Credo, domine: non enim cordis duritia, aut mentis peruicacia factum est, vt ipse ad hoc vsque tempus idolorum cultor essem; sed sacerdotum, & praceptorum inopia: iam diu est enim, ex quo infelix vrbs nostra suum desiderat Antistitem, & pastorem*. Hæc cum CATALDVS audisset, cæcum baptizauit; dupliciq. lumine & mentem, & corpus illustrauit.

Ille autem vix credens felicitati suæ, cum aliquandiu stupenti similis cæli ambitum, vtriusque maris sinus, & diuersarum rerum species, & pulchritudinem esset admiratus (fuerat enim a natiuitate cæcus) vt accepti tandem beneficij conscios faceret ciues suos, & animi lætitiam, quam cohibere non poterat, quo modo posset, effunderet, vrbem ingreditur; atque obuios quosque & ad miraculi nouitatem spectandam, & ad suscipiendum veræ fidei sacramentum inuitans: *Venite*, inquit, *& videte hominem, qui sacro baptismate lumen mihi reddidit oculorum*. Ad hæc spectacula vniuersus populus excitatur: & cæcum oculatissimum secuti, nobilem Christianæ fidei præconem, vrbis mænia, & ciuium mores tacitè considerantem inueniunt. ab illo itaque, quædam adhuc veritatis semina retinentes, cum veræ religionis mysteria didicissent, lustralibus vndis abluti, & præteritæ vitæ crimina detestati in cælestem militiam conscribuntur. Fuit autem cum CATALDVS Tarentum ingressus est, annus a partu Virginis septuagesimus circiter supra centesimum; cum Ecclesiam DEI regeret ANICETVS Syrus, & ANTONINVS Philosophus Romæ imperaret.

Nec tantorum operum fama diutius latere potuit; quin protinus oppidanos

pidanos omnes ad nouarum rerum spectacula prouocaret; & Metropolitanæ vrbis exempla proponens, ab idolorum cultibus omnes circumquaque deterreret, & hortaretur ad Fidem. Breuissimo itaque temporis interuallo vigil Antistes tantum in Euangelica prædicatione profecit; vt nullus in tota Diœcesi superesset, qui ad Christianas virtutes felicissimo non proueheretur incessu. Constitutus enim totius Senatus, & populi consensu Tarentinæ Ecclesiæ Præsul, sic mores hominum composuit, sic vrbis faciem immutauit; vt vbi fuerat scelerum omnium, & vitiorum emporium, illic fieret perfectissimarum virtutum seminarium: vbi luxuriæ blandimenta, & superbi conuiuiorum vigebant apparatus, illic castimoniæ pudor, & sobrietatis studium elucceret: vbi demum publica templa prophanis Dæmonum cultibus patebant, illic frequens populus veræ fidei mysteria, & Christianæ religionis solennia celebraret. Quis enim cũ Sanctissimos CATALDI mores inspiceret, vitæ rationem non immutaret? Habebant scilicet ciues pastorem, ad cuius exemplum suos mores exprimerent; habebant hominem, qui tantam vitæ sanctitatem præseferebat; vt quos assiduis cohortationibus, atque admonitionibus, nec non admirabili verborũ suauitate à vitijs cohibere non poterat, hos & exemplo tacitè corrigeret, & muta facundia morum emendaret.

Hac igitur integritate morum cum multos annos Tarentinæ Ecclesiæ præfuisset, multosq. iam posset relinquere sui sacerdotij successores, morti proximus vaticinium quoddam composuit: quod & ego vidi Neapoli apud Adrianum Gulielmum Spataphorum, virum apprimè eruditum, & rerum antiquarum cupidissimum, cum illic studiorum causa commorarer: & Frater quidam, Romæ cum esset, idem reperit in Bibliotheca Aræcæli apud Petrum Galatinum lib. 8. cap. 1. *de ecclesia destituta*, & ad me misit, vt huic historiæ totidem verbis insereretur. Sic itaque habet Galatinus. *De hac igitur totius Ecclesiæ deformatione in vetustissima Sancti CATALDI Prophetia multa prædicta fuisse leguntur; quæ in libro plumbeo scripta, & intra columnam inclusa, vt ego vidi, Tarenti inuenta est anno Domini millesimo quadrigentesimo nonagesimo secundo; in qua deforis scriptum erat:* Præsentetur Regi, & ipse solus cum vno sibi fideli aperiat, & legat. *Prophetia autem ipsa hæc est.*

TV ex Hesperia venisti, vnde pestis bis mortifera ob infidelitatem, & monstra quædam, inter quæ tui commorabuntur. Damna tamen recompensabunt duo potentes coniuges regnantes. Væ tibi Christiana religio: incredulos, & hypocritas apertos, & occultos habebit sponsa CHRISTI; quoniam sponsus sponsæ irascetur. Capita eorum insensata erunt; & oculi eorum tenebuntur, ne videant. sensualitas, ambitio, auaritia, & cupiditas regnãdi praualebunt. Sed dicent: Beati

pauciora possidentes. Orientur prælia: Insurgent Pharisæi contra Samaritanos; & erunt ingentes Christianorum strages: quoniam nota erunt nimis opprobria eorum super terram. Tu morte tua, quæ citò aderit, liberaberis, ne videas tuorum ruinas: præuidebis tamen, & sollicitus viues: præ dolore, ira, & timore repente morieris: ex duabus regni successionibus, vna ex te deserta, altera ex aliorum nobiliori, & potentiori successione erit. Regnum olim tuum inuadent; &, vt leones, cum magno apparatu depopulabuntur: ante eos labentur homines, & mœnia cadent. Vincent in albis: rubri, & nigri cessabunt colores. Inferi ad superos, superi ad inferos descendent, & mirabitur mundus reuolutiones cum cœlo. Nec præsens dies erit præterito similis. Nulla fides: simultates, fictiones, machinationes, defectiones, planctus, lamentationes, mendacium, rapinæ vndique regnabunt.

Dies aderunt tribulationis, in quibus altiora anhelantes, in profundum cadent: & dissoluentur fœdera, & gaudentiores tristabuntur. Occidens commouebitur, & occidet: Oriens obscurabitur, & timebit valde. fallet homines leue principium & horrendus finis: ex modica flamma ingentes ignes, ex arido fomento nutriti, longiores erunt. Fœderibus, & armis perturbabitur Mundi nobilior pars; & de summis principatibus contendetur, & erit multorum destructio; quoniam iratus est DEVS. ante faciem eius percutient se priores, & de regno in regnum commouebuntur. Et terra, vti mare, à ventis fluctuabit: summergentur multi; & multi quærentes portum, non inuenient; quoniam à recto itinere deuiauerunt.

Inueniet quendam tuus fune vexatum, cuius aucupio, & occulto consilio deponet sua, & omnia donabit, dirigens quæcunque in meliorem viam: Et regnabit ex hoc vsque in nonam generationem. Serpentes multi venena effundent; sed deficiet ex illis caput; & dulciora efficientur venena ex percussionibus. Potentes ex aduersitatibus minores coram DEO in facies cadent, & humiliabuntur. Et bonorum supplicationibus placabitur Omnipotens; & Orientalis rabies magno apparatu petetur. Bonum ex malo nascetur ingens; quoniam apparebit Angelus cum gladio, & magna minabitur. Insurgent multi, & potentissimi; & renouabitur Mundus. Erit homo super mensam plumbeam comedens in vna de quattuor ciuitatibus, qui omnibus istis remedium afferet. Hactenus Prophetia.

His

His igitur peractis, cum felicissimum, diuq. exoptatum obitus sui diem CATALDVS imminere animaduerteret, Sacerdotes suos, ac Principes ciuitatis acciri iubet; atque ijs vidui gregis curam quasi testamento delegans, omnes, quotquot aderant, his verbis ad Fidei constantiam adhortatur.

Scitis, fratres dilectissimi, me non sponte mea ad hanc vrbem ab extremis Occidentalis Oceani finibus appulisse: sed cum Hierosolymis essem, dignatus est me Dominus IESVS CHRISTVS alloqui: & mihi diuersam vitæ rationem, quæ mihi pro mea salute videbatur tutior, meditanti præcepit; vt TARENTVM, vbi PETRVS Apostolorum princeps, atque eius discipulus, & interpres MARCVS Fidei fundamenta iecerant, protinus me conferrem. Feci libentissimè, quod iussit; atque oblitus patriæ, & Rachuensis Ecclesiæ, in qua benè noram, filios meos perpetuo paterni reditus desiderio cruciari, & longissimas moras iniquiore animo pati, ad vos accessi. CHRISTI fidem propemodum hic extinctam, Domino cooperante, restitui: nec cessaui cum lacrymis, & orationibus faciles Tarentinorum animos confirmare, & ad Christianæ vitæ perfectionem, abdicatis vitiorum illecebris, inflammare. Sed nunc futurum certò scio, vt post obitum meum immanes in vos, atque infestissimi hostes insurgant: qui hæreticis cauillationibus Ecclesiæ catholicæ membra discerpere conantes, gregem meum in Domini caulam tanto labore coactum, in pristinos errores tentabunt adducere. Contra hos igitur vos fidei vestræ, & Christianæ religionis propugnatores effecti, plebis animos vestra constantia confirmate, memores laborum, & vigiliarum mearum. Corpus hoc communi omnium parenti, ex qua formatum est, reddite, & in maiori ecclesia intra sacellum Sancti IOANNIS in Galilæa Orientem versus Christiano more sepelite, futuræ illud resurrectioni asseruantes.

Hæc cum dixisset, sumptis, quæ decedentibus conferri solent, sacramentis, beatissima illa anima, suæ immortalitati asserta, euolauit in cælum. deductoq. ad Ecclesiam corpore, vndique magnus concursus factus est populi, præsertim languidorum: qui sacratissima membra, quæ templum SPIRITVS Sancti fuerant, fideli deuotione tangentes, ab omnibus morborum generibus curabantur. Celebratis denique sacrorum funerum vigilijs, quæ potius Angelorum excubiæ, quàm mortuorum exequiæ videri poterant, eo ipso loco, quem ipse moriens præsignarat, corpus eius honorificè conditum est; constructo insuper miri operis marmoreo sepulcro, quod ad hanc vsque diem in Sacrario maioris ecclesiæ deuotissimè asseruatur; in quo & sacellum conspicitur, Clementis VIII. iussu, & auctoritate constructum.

Cum verò DROGONVS Archiepiscopus Tarentinus Cathedralem ecclesiam vetustate collabentem, vt nouam erigeret, diruisset; opifex fundamentum effodiens, attigit sepulcrum marmoreum; vnde mira odoris


odoris fragrantia emanabat. quod cum is Archiepiscopo denunciasset; Præsul cum clero, & populo ad locum properat; sumptoq. ligone, Sepulcrum aperit; ex quo, qui aderant, suauissimo omnes perfunduntur odore; & sacras cernunt reliquias rubicundiores ebore antiquo; auream crucem, in qua Sancti Præsulis nomen erat descriptum, inueniunt. Itaque indicitur processio; luminaria deferuntur; & diuersi generis concremantur aromata; sed fragrantia ex reliquijs prodiens superabat omnia. Pontifex igitur sacras reliquias collegit; & sepulcrum marmoreum inde amotum decenti in loco sub maiori ecclesiæ altari collocandum curauit; vbi reuerenter sanctissimi viri ossa recondidit. Aduolat interea huius inuentionis fama; & cateruatim illuc multitudine languentium accurrente, antiqua miracula renouantur.

Deinde anno salutis millesimo centesimo quinquagesimo, EVGENIO Tertio summo Pontifice, & ROGERIO Siciliæ Rege, GIRALDVS Archiepiscopus Tarentinus, cum honorificentius Sancti CATALDI reliquias asseruari cuperet, arcam argenteam, vbi conderentur, Saluatoris, sanctorum Angelorum, ac duodecim Apostolorum imaginibus insignitam (in qua ex ligno Crucis particulam auro tectam, gemmisq. ornatam posuit) elaborandam curauit. Indicto itaque antea ieiunio, ad sextum idus Maij, qui fuit Translationis dies, Giraldus Archiepiscopus cum Coepiscopis suffraganeis, vniuersoq. Clero, ac Populo ad Ecclesiam veniens, sepulcrum sub altari maiori aperit. & sanctum corpus extrahens in theca illa argentea cum hymnis, & canticis spiritualibus, tota personante Ecclesia, recondidit. Vbi plurima miracula Deus per Sanctũ suum eo tempore operatus est. Nam cæcis visum, surdis auditum, mutis loquelã, paralyticis, leprosis, & quouis alio morbi genere laborantibus sanitatem restituit: obsessos à Dæmone liberauit; opem in mari periclitantibus & in periculo vitæ constitutis, alijsq. in necessitatibus præstitit, & in dies credentium fidem præstat.

Post hęc cum populus Tarẽtinus maiore deuotione in dies erga Sanctum afficeretur, & maiora in dies beneficia eius patrocinio, & intercessione à Domino consequeretur; argenteam statuam ductilem, mitra, & Pontificijs vestibus, ac pastorali baculo insignitam, quæ iustam hominis mensuram impleret, miro artificio, nec paruo impendio elaborauit; in cuius capite cranium Sancti CATALDI inclusum asseruatur; cæteræ etiam reliquię insigniores argento contectę sunt: Inter quas sacra illa lingua, quæ toties diuinas laudes expressit, quæq. verbum vitę fidelibus, & infidelibus prædicauit, integra, subrubensq. quasi recens ab eius ore esset extracta, intra crystallum magna omnium admiratione & deuotione colitur. Ante pectus statuæ pendet Crux illa aurea, quam in eius sepulcro inuentam fuisse diximus; in qua hæ litteræ cernuntur insculptæ: CATALDVS RACHAV.

Anno

Anno demum salutis millesimo sexcentesimo IOANNES de Castro, nobilissimus Hispanus Archiepiscopus Tarentinus alteram crucem addidit longè maiorem, auro compactam, & plurimis smaragdis circumquaque distinctam; tantoq. artificio elaboratam, vt materiam opus superet, & ars natura ditior, ac formosior esse videatur.



DE INVENTIONE LIBRI, seu Prophetiæ Sancti CATALDI, prout habetur in codicibus Ecclesiæ Tarentinæ.



IE octauo Aprilis decimæ indictionis Tarenti, anno millesimo quingentesimo nonagesimo secundo, Pontificatus Sanctissimi in Christo Patris, & Domini Innocentij diuina prouidentia Papæ VIII. anno octauo, qui fuit dies Dominicæ Passionis, regnante Ferdinando, apparuit Sanctus CATALDVS Diacono cuidam Raphaeli Cuceræ Tarentino, dum in Choro maioris Ecclesiæ preces funderet ad tertiam noctis horam. Cumq. esset Diaconus nimio terrore correptus, sic eum Sanctus dicitur allocutus. Sæpè dixi tibi, vt Ecclesiam adires, quæ orientem versus extra muros Vrbis sita est, & PETRI Apostoli nomini dedicata, & illuc accedere noluisti. Vade igitur nunc ad Archiepiscopum, eiq. meis verbis iniungas, vt congregato Capitolo, & Clero, & Populo Ciuitatis, ad illam Ecclesiam solemni processione contendat: reperiet enim in quadam columna puerum depictũ dexteræ manus digito locum indicantem, quem effodiens, vaticinium reperiet, quod ego adhuc viuens, Domino reuelante, composui. In eo loco crucem condidi plumbeam, quibusdam litteris insculptis, & librum etiam plumbeum laminis plumbeis circumtectũ, & obseratum; in quarum fronte litteras apposui, quæ docent, quid sit circa volumen illud obseruandum. Quod si Rex cui liber illico mittendus est, obseruare noluerit, quæ in eo præcepta reperiet, in multas incidet ærumnas, & ipsius Regnum fame, peste, & infidelium incursione vexabitur; & prędicta si non credet, accedas tu ipse Raphael, eiq. aperias omnia, quæ vidisti. his dictis euanuit ab oculis eius.

Hæc ferè omnia Alexander ab Alexandro lib. 3. cap. 15. dierum genialium commemorat, cuius verba, ne quid in hoc opere desideretur,

 apposui.

apposui. *Cum, florente fortuna Ferdinandi Primi Regis Aragonij Vrbs Neapolitana, & Regnum nullis adhuc belli calamitatibus premeretur, satis constat, CATALDVM virum sanctum, qui ab hinc annis mille Pontifex Vrbi Tarentinæ præfuit, quemq. Patronum Tarentini ciues venerantur, & colunt, nocte intempesta, ministro sacrorum cuipiam tunc sacris initiato, & in casta religione educato semel, atque iterum in somnis apparuisse, ac monuisse, vt libellum à se conscriptum, quem in abdito loco viuens abdiderat, in quo diuina arcana scripta erant, effodere, & protinus ad Regem deferri curaret; qui, cum parum fidei somnio dedisset, eadem sibi per quietem sæpius obuersata specie, cum primo diluculo solus moraretur in templo, ipsum CATALDVM, qualis erat olim, dum in vita ageret, Pontificia veste, & infula amictum, eidem ministro plane vigilanti apparuisse, & præcepisse, vt postera luce, cum primum posset, libellum à se conscriptum in abdito loco, quem in somnis prædixerat, conditum, effodere, & Regi deferre ne cunctaretur; pœnam, ni fieret, grauiter comminatus. Postera luce solemni pompa ministrum cum Populi comitatu ad latebram, in qua longissimo æuo libellus latuerat, processisse; eumq. plumbeis tabellis obsignatum, & clauis obseratum inuenisse, satis constat. In eo certum est futurum Regni excidium, miserias, calamitates, & luctuosa tempora, atque instantia mala, quæ postea secuta sunt, Regi prædixisse. Id quod experimento docti, magna mercede persolutum vidimus.*



MIRACVLA SANCTI CATALDI

Ex vetustissimis exemplaribus fidelissimè desumpta, stylo modicè immutato.

1 VLIER quædam arida brachia, quorum vsu, & beneficio diù caruerat, ad sancti Præsulis sepulcrum fida animi sinceritate demittens, opportunum sentit auxilium: quidquid enim diuturnus membrorum languor abstulerat, præsens CATALDI meritum diuina virtute suffultum, ad pristinam reuocauit virium integritatem.

2 BENEVENTANVS, sæuiente paralysi, toto corpore dissolutus, miracu-

miraculorum fama commotus, pio mentis affectu Confessoris Ecclesiam visitauit; & sepulcro eius innixus, dum lacrymis, & orationibus constantissimè insisteret, & deuotissimè exerceretur, totius corporis valetudinem est consecutus. Et vt miraculi magnitudo alio prodigio promulgaretur, & præstiti beneficij non ignorata veritas reliquos infirmos ad spem valetudinis excitaret, campanæ omnes Angelicis manibus pulsari cœperunt; & Ecclesiæ fores vecte firmissimo obseratæ (id enim nocte intempesta contigit) vltrò apertæ sunt: quasi fidelem Populum ad tanta spectacula conuocarent.

3 MVLIER iam diù linguæ,& aurium officio destituta, ad sancti tumulum venit: ibiq. tota nocte agens excubias, orationibus indefinenter intēta;& diuinas laudes,quæ nocturnis horis in Ecclesia decantabantur,audire meruit,& passim accepti beneficij historiam enarrare.

4 ADOLESCENS pariter membrorum vsu priuatus, & omnibus corporis viribus destitutus, a parentibus ad sancti tumulum deductus est: cum ibi multa hominum millia tunc adessent, qui ad anniuersariam sacræ Inuentionis solemnitatem conuenerant: eodem die viri Dei meritis,& religiosa fide parentum integram valetudinem impetrans, Populorum auxit lætitiam, sancti festiuitatem celebriorem reddidit, & Domini, a quo bona cuncta procedunt, honores cumulauit.

5 LYCIANA mulier paupercula, languens morbo phrenetico, sancti sepulcro dum fixit oscula, pristinæ mentis integritati restituta, nomen Domini glorificauit: &, quod munus mentis inops petere non poterat,mentis compos effecta, larga gratiarum actione aliqua ex parte compensauit.

6 EADEM nocte Massafrensis quidam, cum haberet filium triennij cæcitate oppressum, quem secum duxerat, vt ambo sacris solemnijs deuotissimè interessent: puerum propè sepulcrum deposuit, & sancti suffragia pro salute filij, profusis lacrymis deposcebat: Nec multò post,& ipse miræ suauitatis odorem sentit,& filius lumen recipit oculorum;qui,cum per Ecclesiam incredibili lætitia exuberante;transcurreret, Giraldus, qui tunc aderat, & Clerus hymnis spiritualibus, & Dei laudes, & sancti merita cœperunt studiosius decantare.

7 IPSO verò Translationis die Tarentinus vir nomine Stephanus coriorum concinnator, cuius corpus insanabilis struma sic repleuerat vniuersum,vt omni ex parte quasi quibusdam glandulis caro intumesceret, & turpiter ebulliret; veniens ad Ecclesiam, & ad sancti sepulcrum procumbens, vix primis solutis precibus integram consequitur sanitatem. Huius tamen ingratus animus,& accepto beneficio minimè dignus, voluit silentio tegere donum DEI. Nam priorem ægritudinem simulans, pallio circumtectus,domum tacitè reuertebatur.

Cum verò ad limen Ecclesiæ peruenisset, occulta vi detentus, non modo vlterius progredi non potuit, sed intra templi ambitum reiectus penè cecidit consternatus: Nec tamen facti pænitens cum iterum, ac tertio exitum obstinato animo pertentasset, & semper acrius, ac vehementius diuinæ potentiæ experiretur occursum; tandem nefarium scelus agnoscens, coram omnibus quidquid factum fuerat promulgauit; & qui vnum voluit occultare miraculum, duo postmodum patefecit. *Sacramentum etenim regis abscondere bonum est: opera autem Dei reuelare, & confiteri honorificum est.*

8 SANCTIMONIALIS Motulensis, cuius soror duodeuiginti annos grauissima paralysi laborabat, confessoris Ecclesiam, & reliquias visitauit: Cumq. præsens multa, quæ iam sanctus miracula fecerat, reuerenter audiret, miseram se vocabat, quod ægram sororem ad sancti CATALDI reliquias non adduxisset. Itaque Motulas reuersa, quæ didicerat, languidæ fideliter enarrauit; ab eaq. facilè obtinuit, vt etiam ipsa ad sanctum cuperet velocissimè deduci. Ambæ igitur Tarentum venientes, & humi prostratæ ante Præsulis sepulcrum, tam citò diuini beneficij signa senserunt, vt munus vota præcurreret; & velocius diuinæ largitatis gratia ad ægram descenderet, quàm illius preces ad cælestia peruenirent.

9 ALTERA Monialis ex oppido sancti Petri de monte Ioy cæterarum sororum deuotione coacta, inuita interfuit solemnijs confessoris; non quod eius animus, aut infidelitate torpesceret, aut impietate fæuiret: sed quod malus dæmon miseræ corpus acerbissimè inuaserat, & infandis modis exagitans diris cruciatibus contorquebat, & sacrarum matrum collegium assiduis diuexabat angustijs. Cum igitur Moniales Ecclesiam ingressæ, DEVM ac sanctum Antistitem pro sorore energumena precarentur, illa DEVM, & CATALDVM asperis, & fædis conuicijs impetebat. sed victa est tandem clementia Saluatoris precibus supplicantium; & Dæmonem, cuius fuerat blasphemijs irritatus, ad gehennæ incendia deturbans, arreptitiam integræ valetudini restitutam, Monialium collegio fælicius copulauit.

10 GALLIPOLITANA etiam monialis triennij cæcitate percussa, cum nauigium sancti CATALDI Ecclesiam visitatura, conscendisset, diuinæ potestatis collyrio, visum recepit. Nec tamen post acceptum beneficium negligens effecta est, aut ingrata; sed promptius, & alacrius propositam nauigationem absoluere destinauit; vt dignas, cui debebat, gratiarum redderet actiones. Cum igitur Tarentum appulisset, contineri non poterat, quin oculos præmonstrans, & miracula passim recensens, extolleret, & sancti merita, & diuinæ clementiæ bonitatem.

11 QVIDAM è Bullito, cum filiam haberet, duodecim annos natam, pedibus,

pedibus, & cruribus arcfactam; tantis miraculis, quorum vbique celebris iam fama percrebuerat, excitatus, eam ad Ecclesiam Confessoris adduxit. Cumq. quatuor integros dies apud DEVM, & Sanctum precibus, & lacrymis pro salute filiæ constantissimè supplicasset, impos tandem voti, cum animum desponderet, nec vnquam diuinam clementiam sibi affaturam speraret; domum regredi instituit. Iam filiam ante limen Ecclesiæ deposuerat, iam strauerat Asellum: dum autem vellet ægram super clitellas componere, illam eo loco, vbi reliquerat, non inuenit; & maiore ira incensus, quod illusum se crederet, in templum rursus ingreditur; obuios quosque, an filiam viderint percontatur: cumq. ferè totam Ecclesiam perlustrasset, reperit tandem illam incolumem, genibus flexis ante Crucem Domini deuotissimè orantem. In quo mirari licet diuinæ sapientiæ bonitatem: fecit enim, vt desideria dilata crescerent, & crescentia tandem caperent, quod volebant. Nec obstitit filiæ Pater si non incredulus, at certè impatiens; quando pro se fortasse constantius filia precabatur.

12 MONIALIS altera Alexanensis surda ambabus auribus ex quodam morbo ita relicta est; vt non solum astantium voces, sed ne ipsa quidem tonitrua posset audire. Soror igitur eius diuinitus inspirata, illam ad Ecclesiam confessoris adduxit, eiq. & tumulum, & imaginem sancti Præsulis ostendebat: Cælumq. suspiciens, & aures infirmæ pertractans, quoquo modo poterat, surdæ innuebat, vt sancti subsidium, & fidem imploraret. sentit tandem ægra, quæ a sorore significabantur; & clamore incomposito, vt surdi solent, CATALDVM incipit deprecari. Beatus autem confessor, & primas voces supplicantis audiuit, & pristinam ægrotæ restituit sanitatem, & circumstantem Populum ad diuinas laudes alacrius celebrandas excitauit.

13 VIR Vrsus nomine Pellicorio oriundus, iustus sanè, ac diues dimidium sui corporis perdiderat, graui, & diuturna ægritudine oppressus. Itaque miraculorum fama commotus, quòd etiam multos, quos ipse languidos nouerat, a morbo optimè conualuisse prospiceret, se ad Ecclesiam confessoris adduci iussit: quam ingressus solo prostratus, & lacrymosis gemitibus sancti clementiam sollicitans, præsens aliquod remedium deploratæ infirmitatis deposcebat. Nocte igitur adueniente, cum in eadem Ecclesia post longas vigilias, & orationes, ita vt erat humi prostratus, obdormisset; vidit Reginam vultus splendore conspicuam, & totius corporis maiestate mirabilem, vno tantum præcedente ministro, per Ecclesiam incedentem: quæ veniens ad infirmum ministro mandauit, vt illius pedes loco dimoueret, quò stramenta substerneret dormienti; ita tamen leuiter, vt æger nullum ex motu sentiret incommodum. Minister verò dum Dominæ exequeretur imperium, æger aliquantulum acclamauit. tunc

Regina: *Durius*, inquit, *quàm debueras, ægri pedes mouisti*. cui ille humiliter sic respondit: *Nullum propterea damnum contraxit*. Excitatus eodem temporis momento infirmus, incolumem se penitus animaduertit: & narrans, quæ viderat, facilè omnibus persuasit, vt crederent, Reginam illam Dei matrem fuisse, quæ ægro contulerit sanitatem, CATALDO tanti operis socio, ac ministro.

14 PVELLA Brundusina tanto dolore capitis vexabatur, vt non multò post, morbo iam ingrauescente, oculorum acie priuaretur; parentes autem, cum essent diuites, grandi pecunia medicorum opem, & industriam redimentes sexcenta penè collyria quotidie infirmis oculis adhibebant; sed frustra: Dominus enim est, qui creat lucem, ac tenebras. Illi itaque salutem filiæ desperantes, quod a medicis obtinere non poterant, ad pietatem, & Religionem conuersi a sanctorum meritis deposcebant. Cumq. CATALDI miracula vbique terrarum, & maximè per finitimas Vrbes eo tempore diuulgarentur; constituunt filiam ad Ecclesiam confessoris adducere: & ne vacui in conspectu Domini apparerent, argenteos oculos elaborandos curant, quos ex voto propè tumulum confessoris appendant. Cumq. dies profectionis instaret; primo manè clamare cæpit puella: *Eiangite parentes; arripiamus iter, quod decreuimus; iam enim Aurora est; iam dies expectatissimus illuxit*. quod cum illi audirent: *Te miseram*, respondebant, *quid tibi cum sole, quæ noctis, & lucis discrimina non agnoscis? cæca de Auroræ aduentu loqueris, & diei nunciam orbata lumine profiteris?* filia verò magis clamabat. *Diem video, ac possum solis radios, qui per fenestræ rimulas penetrant, constantissimè sustinere*. His vocibus ad spem meliorem excitati parentes, ad filiæ lectum recurrunt, eamq. incolumem depræhendunt, detersis ex vtraque pupilla tenebris cæcitatis. Discedunt itaque hilares Brundusio; & Tarentum venientes, gratias Domino referunt, & CATALDO, cuius meritis se tantum beneficium consequutos esse credebant; atque argenteos oculos, & tabellam, in qua facti seriem conscripserunt, propè imaginem confessoris apponunt.

15 FÆMINÆ Basiliensi insanabilis morbus, ita humerum sauciauerat; vt aridum etiam ex illa ægritudine brachium redderetur. cæpit misera medicorum consilijs primo herbarum vires experiri; nec vllum relinquere medicamenti genus, quod tantæ ægritudini profuturum speraret. Cum verò omnia frustra tentasset, sanctorum reliquias per illustriores Basilicas visitare constituit. Vt autem medici, quod efficere non poterant, pollicebantur; ita sancti, quod certè diuina virtute poterant, præstare nolebant: sciebant enim Soli CATALDO hanc a Domino fuisse prouinciam demandatam. Interea confessoris miracula ægra cognouit; & fidei clypeo munita, fratre præuio, &

ductore,

ductore, Pontificis Ecclesiam visitauit; & ante eius tumulum prostrata, eadem ipsa nocte, quam petebat, obtinuit sanitatem.

16 CARPENTARIVS artifex, Argentius nomine, Patria Tarentinus, cum diù quotidianis laboribus victum sibi honestissimè conquisisset, tandem morbo grauissimo correptus, arefactis ambobus brachijs, aliena misericordia viuere cogebatur. Is igitur cum diuersa oratoria, & basilicas sanctorum valetudinis recuperandæ gratia perlustrasset; tandem in somnis admonitus est, se frustra alibi quærere, quod domi nullo negotio reperiret. In patriam igitur reuersus, ad sancti tumulum humiliter prostratus flebilibus precibus, sic rogabat. *Longi itineris tandem pertæsus, & rubore perfusus, tuam, sanctissime Præsul, fidem nouissimè imploro, quam ante omnia debueram implorare. Nunc etenim credo, quod mihi antea poterat esse exploratum, ex te mihi, non aliundè incolumitatem esse expetendam. Sancti omnes finitimarum Vrbium patroni me respuunt; vt ad te necessario confugiam: ciuem ciui, & Tarentinum Tarentinorum Antistiti, & patriæ parenti seruandum relinquunt; ad te igitur venio; ad te confugio humilis, & supplex. tu me redde integrum gregi tuo, vt tua vbique pietas illustrior prædicetur.* Hæc, & alia cum deuotissimè geminaret, ita ex ariditate conualuit, vt nunquam alias, neque fortius, neque agilius brachia visus fuerit exercere.

17 TANTORVM miraculorum fama non solum Appulos, sed Calabros etiam ad sancti deuotionem excitarat. Octo igitur ciues Crotoniatæ, duobus ægrotis, quos grauissimus, & deploratus morbus inuaserat, in eadem naui impositis, Tarentum transmittere constituunt, altero eorum ciue manibus, ac pedibus arefacto; altero ex Oppido Persigro oriundo; quem licet patria a priore seiunxerat; par tamen infirmitas, & similis vtrumque necessitas copularat. Cumq. non parum a portu abessent e regione Metaponti; tam grauis tempestas subitò exorta est, vt nautæ certum, & nulla humana ratione euitabile naufragium vererentur. De salute igitur solliciti, sanctum, ad cuius visitandas reliquias veniebant, magnis gemitibus precari cæperunt, vt eos ab imminenti sæuissimæ mortis periculo liberaret. Non tulit longiores preces benignitas confessoris; sed plura tribuit, quam rogabatur: nam & merita supplicum excedens, & vota, non modo pelagi tempestatem sedauit, sed infirmis etiam integram restituit sanitatem. Illi itaque Tarentum appulsi, & Cathedralem Ecclesiam ingressi, miracula narrant, votiuas tabellas suspendunt, gratias Domino referunt, & CATALDO; ac demum vniuersam vrbem summa lætitia, & admiratione perfundunt.

18 PRESBYTER Pomaricensis, cum assidua ferè capitis vertigine laboraret, ac lacrymis, & orationibus post tentata frustra subsidia

medicorum, Dominũ deprecaretur ac nocte quadam prolixius oraret, somno correptus, sancti Marci Ecclesiam sibi ingredi videbatur; ibiq. cum discipulo, quo ad missæ sacrificiũ ministro vtebatur, de sua ægritudine solitos sermones exordiri. Cui iuuenis: *Vade Magister*, inquit, *ad Pontificem post altare sedentem, qui CATALDVS nuncupatur; ipse enim, qui plures infirmos a varijs, ac desperatis languoribus liberauit, (quæ clementissimi confessoris est erga omnes humanitas) fortasse etiam miserebitur tui.* Videbatur itaque sibi dormiens celerrime ad Sanctum accedere, qui ægrotantis caput blande pertractans, & sanctissimæ Crucis signo communiens, & frontem amantissime exosculatus, eum breui conualiturum affirmabat, si Ecclesiam ipsius adiret; sacerdos igitur euigilans, integramq. capitis sentiens sanitatem, & miraculum, quàm plurimis fidelissime euulgauit, & confessoris reliquias lætissime visitauit.

19 GALLVS Cisalpinus sæculi vanitatibus abdicatis, in Syriam vsque profectus, sepulcrum Domini deuotissime visitauit. Hic cum diuersas orbis terrarum partes hoc animo peragrasset, vt per illustriores basilicas sanctorum Martyrum reliquias veneraretur; Monopoli aliquot dies est commoratus: vbi cum accepisset, quæ de apparitione sancti Michaelis Archangeli in Gargano monte, & de frequenti peregrinorum concursu circumferebantur, illuc alacriter profectus est. Mox naturam loci conspicatus, & Religionis ergò, & quod longissimi itineris pertæsus, vlterius nollet diuagari, cum quibusdam Eremitis in eo monte aliquandiù sanctissimè vixit. Tandem post tot exantlatos labores, post tot merita conquisita, necesse fuit, vt tentatio probaret eum. Morbo enim epileptico percussus, in singulas horas acerrimè torquebatur? Audiens itaque miracula confessoris, Tarentum non paruo incommodo deuenit; & beati CATALDI meritis pristinæ incolumitati restitutus, lætissimus ad Syluarum recessus, & ad solitariæ vitæ institutum remeauit.

20 CVM, tempore vniuersalis, contagiosæq. cuiusdam pestis, quæ adeò vniuersam Italiam peruagata est, vt nihil intactum reliquerit; Coraltino cuidam, simpliciq. homini Quirico Trambotto reuelatum diuinitus esset; vt si Coraltum Apuliæ oppidum a grassanti lue liberari cuperet, Ecclesiam sancto CATALDO sacrandam eo ipso loco, in quo sibi bos sequenti luce sub curru occumberet, communibus sumptibus, nulla interposita mora, ædificandam curaret. Cumq. id ille Coraltinis prædixisset; alligatusq. ad currum bos posteriori die mortuus corruisset: sacra ædes in honorem S. CATALDI eodem prorsus in loco constructa est. Quam tamen cum solemniori cultu celebrari affectarent, omnibus suis numeris absolutam ex Apostolica Iulij Secundi summi Pontificis auctoritate, fratribus S. Francisci de

obser-

obseruantia inhabitandam concesserunt. atque hoc miraculum ex Chronicis fratrum minorum desumptum est, quæ Reuerendissimus Generalis Conzaga colligenda, & imprimenda curauit.

21 PVELLA Meianensis tot strumis circa ceruicem scatebat, vt nullus ferè locus esset a tantæ contagione labis immunis. ex his nonnullæ vi decoctæ putredinis abruptæ, perpetuam saniem eructabant; aliæ verò, dum pus conficeretur, incredibilem miseræ molestiam, & dolorem inferebant. Parentes salutem filiæ affectantes, veneficas primo mulierculas incantationibus armatas adhibuerunt; mox medicorum opem implorarunt. Cum autem nihil proficerent, Tarentum adueniunt, & filiam antè sanctissimi Antistitis sepulcrum, cuius miraculorum fama vbique percrebuerat, desperata iam valetudine sistunt: & lacrymis, ac precibus ita filiæ sanitatem breuissimo temporis curriculo impetrant; vt ne cicatrix quidem ex tantis pustulis, & vomicis remaneret.

22 ROSETI mulier honestis moribus prædita, & Christianæ studio pietatis incensa, quamuis assiduis omnium membrorum doloribus affictaretur, maiores tamen ex pedum ægritudine sentiebat: qui ita tandem aruerant, vt ligni potius exedi speciem, quàm carnis humanæ formam præseferrent. Huius cognatæ cum miraculorum CATALDI famam audiissent, Sanctum Confessorem deuotis precibus obsecrare cœperunt. Nec mora: sequenti nocte ægrotanti viduæ Sanctus apparuit; eiq. quod poscebatur, se facturum esse promisit, si ipsius Ecclesiam visitaret. quò cum adducta esset, illico integræ est sanitati restituta.

23 GERRVSII sacerdos erat vitæ quidem, & morum integritate laudabilis, lepræ tamen infirmitate biennio percussus. Qui sancti meritis, & virtute curatus (cui absens se toto animi affectu commendarat) ne ingrati animi notam subiret, Tarentum aduenit: atque vt vberiores gratias DEO, & beato CATALDO referret, in eius altari Missarum solemnia celebrauit.

24 MVLIER quædam cum Cupressano Polynianum pergeret, vt sororem, quæ illic morabatur, inuiseret, iumento, cui insidebat, exterrito, præceps cecidit; & ita in lapidem impegit, vt ei venter instar ollæ intumuerit. Hæc igitur integrum septennium acerbissimis doloribus cruciata, tandem auditis tot miraculis, quamuis Confessoris nomen ignoraret, cœpit tamen voce flebili Sanctum Tarentinæ Vrbis Patronum inuocare. Vix preces absoluerat, cum se subito sensit incolumem; statimq. magna ciuium comitante caterua ad Confessoris Ecclesiam peruenit; miraculum promulgauit; gratiarum actiones persoluit; & DEO se in posterum maiori obsequio mancipauit.

25 TRAIANOPOLITANA puella (est autem Traianopolis Vrbs,

quæ

quæ vulgo Tranum, vel Tranium appellatur) parentibus vnica nobilitate, forma, & moribus decorata, paralysi percussa, non modo membrorum, ac pedum præcipuè officio est destituta, verum etiam linguæ vsum perdidit, & pulchritudinem vniuersam. Parentes verò cum vidissent medicorum opem, & industriam, quos a finitimis etiam Vrbibus magno pretio conduxerant, nihil proficere; ægrotam filiam ad sancti Præsulis sepulcrum deferre constituunt. Iter igitur aggressi, dum inter Massafram, & Motulas equitarent, iumentum, cui languida insidebat, in obuium saxum offendit: illa verò metuens, ne, si equus caderet, ipsa sub onere cadentis opprimeretur? DEVS, adiuua me, magna voce exclamauit: & statim equo desiliens, citatissimo cursu in tutiorem locum se recepit: atque ita factum est, vt eodem temporis momento, & loqui muta potuerit expeditè, & clauda velociter ambulare. Parentes primum casu perterriti, mox admiratione affecti, quod ex damno lucrum, & ex ruina salutem ortam esse viderent, filiam amantissimè complectuntur: DEO gratias referunt, CATALDI sepulcrum venerantur; & omnes, quotquot aderant, incredibili lætitia miraculi narratione perfundunt.

26 TARENTINVS nobilis Berlengerius nomine, qui primus huius sancti gesta conscripsit, vocatus a Rege Siciliæ, vt librum ex græco idiomate in latinum verteret, cum Panormum proficisceretur, tot tantisq. doloribus cæpit repentè torqueri, vt vitam penitus desperaret. Conuersus igitur toto mentis affectu ad sancti Præsulis patrocinium, facilè obtinuit, quod volebat; vt ostenderet CATALDVS grata sibi fuisse, quæ Berlengerius de miraculis eius litterarum monumentis commendarat.

27 APVD Salandram homo erat, cuius oculis nubecula tam tenaciter insiderat, vt non modo lumen eriperet, sed etiam miserum cogeret, ad extremam inopiam redactum, victum sibi aliena misericordia comparare. Longo igitur itinere, & multis laboribus ad CHRISTI Domini sepulcrum peruenit. Cum autem in patriam reuerteretur, sancti CATALDI Ecclesiam visitare constituit: ac subitò in ipso itinere pruritum sensit in oculis, quod nunquam ei antea contigerat: cumq. illos auidè perfricaret, squammas indè extraxit, membranis similes, quas inter spolia vel ceparum tunicas natura inseruit: quò facto statim visum recepit, & ad Ecclesiam confessoris perueniens, gratias DEO reddidit, qui se meritis beati CATALDI a cæcitate, quæ integrum triennium perdurauerat, tam mirabiliter liberarat.

28 TARENTINVS vir Dominicus nomine, cum filium haberet septennem, cruribus, & pedibus arefactum, eum propinquæ fæminæ consilio ad sancti Præsulis tumulum deportauit, ibiq. effusis precibus cum vigilias celebraret, prima nocte, qua venerat, per Ecclesiam cur-

sitantem

ficantem Puerum vidit, ac saluti pristinæ restitutum; quo miraculo quàm maxime potuit DEVM in suo confessore laudauit.

29 TARENTINI nautæ cum è Sicilia soluissent, vt in patriam remearent, & per Calabros fines transirent; repentè tam vehemens tempestas orta est, vt nauigium fluctibus obrueretur: cumq. animum non despondérent, sed omni conatu contra ventorum impetum obluctarentur, ferreum vinculum, quo gubernaculum nectebatur, abrumpitur, & clauus ipse in medios fluctus excutitur; qua quidem re perterriti omnes nil nisi certum naufragium formidabant. Tum verò iuuenis inter eos, vel suapté natura, vel diuino impulsu mortis contemptor, spontè in mare desilijt; vt vel gubernaculum reduceret ad socios, vel socios moriendo præcederet. Sed statim miser à maris illuuie tam procul abducitur, vt eum focij nullo modo possent inter vndarum vortices intueri. In extremo igitur vitæ discrimine, patrium tutelarem inuocare cæperunt; ac subitò fugantur venti, sedatur mare; & iuuenis, quem mortuum omnes existimabant, gubernaculum manu tenens ad socios, natura ipsa admirante reducitur. Omnes igitur incolumes portum ingressi, ad sanctum euolant, vota persoluunt, narrant miracula, & mirificis laudibus CATALDI nomen celebrant, & extollunt.

30 PEREGRINVS Gallus in liberalium artium studijs apprimè eruditus, sepulcrum Domini, & alia loca visitare decreuit, quæ IESVS CHRISTVS, dum mortalis inter nos degeret, sua præsentia illustrauit. quibus deuotissimè peragratis, cum Peloponnensi, & Ionij maris insulas pertransiret, vi tempestatis nauicula Traianopolim delata est: vbi cum aliquot dies morarentur nautæ, donec cessaret tempestas; Peregrinus ab indigenis Sancti CATALDI merita, & miracula edoctus, illius patrocinio se, suaq. omnia deuoto mentis affectu in posterum commendauit. Cum autem, vt nauigationem absolueret, discessisset, & iuxta Crotonem peruenisset, exorta iterum impetu vehementiore tempestas eò nauigium redegit; vt ad Giratij littus, & nauim illideret, & nautas obrueret cum peregrinis omnibus; vno excepto, qui se antea Sancti Confessoris patrocinio, fideiq. crediderat. Cum enim esset morti proximus, è medijs fluctibus ad littus incolumis à vehementiore vnda proijcitur. Cumq. aliquandiù præ stupore animi sibi somniare videretur, tandem ad se reuersus, sancti Præsulis Ecclesiam visitauit, & maiore est erga eum pietate, & deuotione accensus.

31 IN AGRO Consentino fœmina triennij cæcitate percussa miserrimam sibi vitam viuere videbatur; huic ad vesperam peregrinus astitit ante domum, ab eaque hospitium multis precibus postulauit: benignè itaque susceptus, & causam, ac tempus illius orbitatis edoctus;

ctus; *Cur*, inquit, *Tarentum non accessisti, vt Sancti, qui in ea Vrbe sepultus est, reliquias visitares?* Cui mulier cum ignorantiam allegaret, addidit peregrinus: *Cura igitur, vt quantocius ad eius tumulum deducaris: futurum enim certò scio, vt eius suffragantibus meritis lumen recipias oculorum.* Mane autem cum peregrinum nusquam inuenisset, cœlestem nuncium credidit, & statim iter aggressa, antequam Tarentum perueniret, pristinæ restituitur sanitati.

32 BARSENTI mulier anniculum filium habebat, cum verò ex vicinia ad eius domum quotidie aliæ fœminæ conuenirent, vt confabulationibus lanificij laborem fallerent, accidit semel vt puer reptans, matre, & cæteris imprudentibus, in ignem caderet; vi igitur flammarum absorptus, subito expirauit, quod autem mater oculis non vidit, naribus hausit. Cum enim filium nusquam cerneret, & nidorem exustæ carnis sentiret, accurrit ad ignem; & natum videns incendio absumptum, cum reliquis fœminis exclamare cœpit; *Sancte Dei CATALDE, matris infælicissimæ miserere*; Interea è medijs flammis puerum extrahunt; & nec sensus erat ei, nec motus; ita vt ad matris lacrymas, & questus omnes, ferè oppidani conuenirent. Post duas horas cœpit sensim mortuus respirare; & post quatuor dies ita conualuit, vt nusquam ignis vestigium appareret. vtroque tamen lumine orbatus erat; sed mater, quæ constantissimis precibus vitam filio impetrarat, lumen etiam illi obtinuit oculorum. Tarentum properat, & Vrbem ingressa, manibus, & pedibus reptans vsque ad Ecclesiam peruenit: tali enim voto se obstrinxerat, vt pueri speciem, ac figuram exprimeret, quando reptans se in ignem deiecit.

33 MVLIER Vritana, grauissimo capitis dolore diutius excruciata, eo tandem deuenit, vt lumen amitteret oculorum; non tamen animum misera despondit; sed quidquid medicorum ope, & industria sperare non poterat, à Sancti CATALDI meritis, & intercessione assiduis precibus deposcebat. Cum itaque sola domi moraretur, & lacrymis, & orationibus maiore animi deuotione vacaret, strepitum sensit, quasi hominis deambulantis. cumq. quis esset, interrogaret, leuem ictum accepit in capite. Verita igitur, ne raptor aliquis, ansa ipsius cæcitatis arrepta, domestica vasa, supellectilemq. asportaret, magnis clamoribus vrgebat vicinas, vt accurrentes furem arcerent. dumq. illæ aduentarent, ipsa oculorum pulsa caligine, lumen recepit; quo miraculo non solum fœmina, quæ tantum à Domino munus acceperat, sed multi etiam alij Tarentum properant & Sancti reliquias deuotissimè venerantur.

34 ADOLESCENS in Vrbe Hostunio pollicem habebat, tam sæuo vlcere perforatum, vt & assiduo doloris sensu, & putredinis, quæ inde scatebat, grauceolentia mirum in modum vexaretur. Parentes verò,

cum

cum diù circa medicorum industriam oleum, & operam perdidissent, tandem Tarentini cuiusdam excellentissimi medici nomine audito, cuius fama vbique percrebuerat, illuc deducere filium decreuerunt. Et cum postridie eius diei iter essent arrepturi, nocte vidit Pater, in somnis virum egregia forma, & decoro habitu adstantem sibi, ac dicentem; *Quare aliquem medicum non conducis, qui tui filij pollici medeatur?* Cui ille: *Hoc*, inquit, *iam dudum ago, nec dum reperio, quod anxia sollicitudine quæro*; *Vnum tantum modo mihi restat, vt celebrem illum Tarentinum adeam medicum, & experiar, an aliquo modo possit integram filio reddere sanitatem*. Ille autem subdidit. *Contende potius Tarentum ad illum celebriorem medicum, qui nulla adhibita medicina, curare consueuit ægrotos*. Videbatur autem, cum hæc diceret, adolescentis pollicem, tangere, & vlcus leuiter attrectare. cum autem euigilasset Pater, & somnium narrasset vxori, credidit illa, medicum esse CATALDVM, ad quem cum venirent, filius in ipso itinere, ita conualuit, vt ne vlceris quidem vestigium in pollice appareret.

35 DOMINVS Castri Sancti Nicandri in agro Bariensi, atque eius vxor morum honestate, & generis nobilitate conspicui, filium habebant egregia forma decorum, tertium iam annum agentem: quem grauissima febris sic inuaserat, vt mutata pulchritudine in pallorem, vbera sugere recusaret: eoque deuenerat, vt parentes circa eius curam non amplius occupati ea solum curarent, quæ ad eius ætatis funera pertinebant. Tunc pater diuinitus inspiratus, quasi à somno euigilans clamare cæpit. *Confessor CHRISTI Sanctissime CATALDE, quemadmodum tuis precibus vxorem meam pene mortuam mihi reddidit clementia Saluatoris, sic mihi, & coniugi sit puer incolumis restitutus, vt eum ad tuas reliquias deferamus*. Cum eadem ferè verba mater deuoto geminaret affectu, infans cæpit oculos aperire, & mammillam sugere genitricis. Hunc igitur integræ redditum sanitati, parentes ad Sancti tumulum detulerunt, pro gemino munere duplicia vota liberalissime persoluentes.

36 TRANSALPINVS, qui se Teutonicum esse dicebat, inaudita, & grauissima infirmitate laborans, post exquisitum vbique terrarum frustra beneficium sanitatis, de Sancti miraculis certior factus, Dominica palmarum Tarentum peruenit, cum solemnis de more processio extra portam Vrbis orientalem perageretur. occurrens itaque multitudini magna omnes admiratione affecit: gestabat enim in faucibus globum carneum instar manticæ ab vtraque parte gutturis longè porrectum, non admodum dissimilem gibbo Cameli. Ingreditur igitur infœlix peregrinus Ecclesiam: humi prostratus Sancti confessoris tumbam complectitur, diuinam clementiam lacrymis, & ge-

mitibus

mitibus implorat; Sancti patrocinium petit: hisque operibus vsque ad diem Cænæ Domini constanter insistit, quo die cum Archiepiscopus missarum solemnia inchoasset, & *Gloria in excelsis DEO*, solenniter cantaretur, carnea illa congeries, quæ prius lapidis penè duritiem superabat, in butyri mollitiem commutata, & diuinis manibus hinc, atque hinc perforata, virus, & saniem mixtam sanguine largissimè effundebat: mox exhausta putredine, in se ipsam pellis collecta, nullum ferè vestigium deformitatis pristinæ reliquit.

Hæc, & alia plura miracula edidit Deus per sanctum suum; quis enim omnia numeraret, cum quotidie non modo ciues, sed etiam exteri ab innumeris morborum generibus, & vitæ periculis sancti huius meritis, & intercessione liberentur?

Vitæ, & Miraculorum S. CATALDI Finis.

